DE ANTIPATRIS SIDONIO ET THESSALONICENSI *POETIS EPIGRAMMATICIS.*

SCRIPTIO PHILOLOGICA

AUCTORE

Dr. GUST. WEIGAND.

VRATISLAVIAE.
APUD JOSEFUM MAXIUM ET SOCIUM.
MDCCCXL.

PRAEFATIO.

Perpauca sunt, quae lectorem huius libelli ante aditum scire velim. Per hiemem enim anni MDCCCXXXVIII praeside C. E. Chr. Schneidero, Viro Clarissimo, Seminarii philologici Vratislaviensis, cuius tunc particeps eram, sodales selecta Anthologiae Graecae epigrammata interpretati sunt. Quo incitamento ad hunc librum cognoscendum factum est, ut eum plus plusque in dies adamarem et probe intelligerem, etsi Fr. Jacobsius, Vir Clarissimus, editoris partes optime transegerit, non omnem scribendi materiem ab eodem occupari potuisse, sed etiamnunc eam praeberi cum auctoribus multorum carminum dubiis et dialecto, tum epigrammatis in genera quaedam dispertiendis eorumque pulcritudine aestimanda. Atque inter alia Antipatrorum carmina non indigna mihi

visa sunt, de quibus huiusmodi singularis quaestio institueretur. Quam quum pro viribus meis absolvissem, Ordini Amplissimo Philosophorum Vratislaviensium summorum in philosophia honorum obtinendorum caussa tradidi. Neque repulsam tuli. Quibus praemissis nihil restat, nisi ut Te, Lector Benevole, omni, qua par est, modestia etiam atque etiam rogem, hasce studiorum meorum primitias eadem atque Ordo Amplissimus clementia diiudices.

Scribebam Vratislaviae mense Septembri MDCCCXL.

PARS I.

CAPUT I.

HISTORIA ET INDEX CARMINUM ANTIPATRICORUM.

Duobus thesauris, qui Anthologiae vocentur, Cephalano et Planudeo, poetarum Graecorum epigrammaticorum reliquias contineri constat. Ad quos quum etiam Antipatrorum uterque sit referendus, ut recte procedat, disputatio de fatis, quae carmina eorum habuerint, ad originem thesaurorum illorum recesserit necesse est. Primorum quidem duobus fere ante Christum natum saeculis congestorum nonnisi nomina auctorum, quae Schoell. in hist. litt. Graec. T. II p. 344 praebet, Polemo, Alcetas, Menetor, Apellas Ponticus, Aristodemus, Philochorus, Neoptolemus, Euemerus ad nos pervenerunt. His igitur missis ad conditorem Anthologiae, Meleagrum Cynicum et Gadarensem, qui saeculo fere ante Christum aeque amplum ac praestantem *στέφανον* ex epigrammatis fecit, transire licet. [1]) In prooemio suo per unicum Anthologiae Cephalanae codicem servato, in quo singulos poetas Coronae suae intextos cum singulis floribus comparat, v. 42

φοίνισσάν τε νέην κύπρον ἀπ' Ἀντιπάτρου

1) Cf. Fr. Jacobsii Animadversiones ad Anthologiam Graecam V. I P. I p. XXXIX sqq.

Antipatrum Sidonium a se receptum esse testatur: de alio enim cogitari non posse, in quaestione de vita huius demonstrabitur. Primi post Christum saeculi exitu Meleagriae simillimam collectionem Philippus Thessalonicensis instituit, poetarum inde ab illius tempore florentium lusus undique conquirens.[2]) Neque popularem suum dedignatus est secundum prooemii sui v. 7

Ἀντίπατρος πρέψει στεφάνῳ στάχυς

Brevi post Diogenianus Heracleota ἀνθολόγιον ἐπιγραμμάτων edidit, cuius vestigia in Anthologia Cephalana Fr. Passovius deprehendisse existimat *(Jahn. annal. 1827 I p. 61.)* c. XI, 399—413 et 417—436: quae quia ad poetas post Philippum viventes spectant, eum solummodo hos recepisse suspicari possumus ideoque ad nostram quaestionem non pertinere.[3]) Stratonis Sardiani, qui secundo post Christum saeculo vixisse videtur, μοῦσα παιδική, quae puerorum amores celebrat, ultimum caput est Anthologiae a Constantino Cephala concinnatae, atque, quippe quae ex omnium temporum poetis conflata sit, Antipatri unum epigramma ab interitu retraxit, Anth. Pal. XII, 97[4]) Sequitur Diogenis Laertii πάμμετρον, quod epp. in philosophos scriptis constabat. Opus ipsum periit; singula tamen eius carmina Diogenes passim in Vitis laudat, inter quae unum est Ant. Sid. 1. VII, 29.[5]) Saeculo autem sexto Agathias Myrinaeus Anthologiam κύκλος inscriptam condidit, in qua recentiorum poetarum carminibus destinata Antipatris locus nullus esse poterat.[6])

Iam vero omnes hucusque recensitae, si Musam puerilem exceperis, Anthologiae aetatem non tulerunt, sed saeculo decimo et has et fortasse alias et recentes poetas compilavit atque ex hac congerie novum syntagma in plura capita descriptum, non, ut Gadarenum et Thessalonicense, ad litterarum ordinem compositum concinnavit Constantinus Cephalas. Cuius Anthologia ope optimi codicis Palatini servata est, cui

---

2) Ibid. p. XLIII seqq.
3) Ibid. p. XLVI.
4) Ibid. et seqq.
5) Jacobs. in praefat. ad Delect. Epp. p. XIII.
6) Jac. Anim. T. I P. I p. L seqq.

praeter hanc alia quoque sunt assuta. Antipatrorum carmina cuncta in ea parte reperiuntur, quae ex Anthologia Cephalae descripta est, i. e. capp. V—XII in editione Fr. Jacobsii. 7) Altera Anthologia, cuius exempla plura manu exarata supersunt, Maximum Planudem, hominem saeculi decimi quarti, auctorem habet, qui tantum non solam illam excerpsisse videtur. Veruntamen sicuti de aliis, ita de Antipatris non uno nomine ille meruit, namque XIV eaque haud pessima carmina huius auxilio nostratibus innotuere, in cap. VI servata, quod ad artes spectans in cod. Pal. excidit. 8) Ipsa hac Planudea Anthologia factum est, ut antiquior per longum tempus plane ex hominum memoria et usu summoveretur ergoque post artem typographicam inventam illa tantum typis excudi posset. Huius autem editiones quid valeant et quantum interpretes, Vincentius Opsopoeus et Brodaeus, Anthologiae profuerint, Fr. Jacobsius in Anim. ad Anth. Graec. T. I P. I c. VIII accurate definivit: nulli horum operum quum singulare quid prae ceteris Antipatri debeant, nostri instituti non est de iis dicere. Quod ad Chrestomathias et partes Anthologiae seorsum editas attinet, silentio praetermittere non possum, Guil. Morellium Paris. 1551 carmina Antipatri foras dedisse. Hunc librum mihi ad manus non fuisse, eo minus doleo, quo magis eum non ad illustranda, nedum ad emendanda epp. quidquam conferre persuasum mihi habeo. 9) Tempore, quod intercedit inter annum 1606, quo pretiosissimus codex Cephalae repertus est, et inter duumviros illos excellentissimos, Brunckium et Jacobsium, triplicem praecipue viri docti Anthologiae tribuerunt operam: et apographis librum illum, qui fortunam bibliothecae Heidelbergensis perferens Romam et duobus saeculis post Parisios delatus est, multiplicando: et partes quasdam edendo, ut Jensius, Leichius, Reiskius, Klotzius: et notas ad interpretanda et emendanda epp. scribendo, inter quos nomina sunt splendidissima: Casaubonus, Scaliger, Salmasius, Rigaltius, Guyetus, Berkelius,

7) Ibid. p. LXI seqq.
8) Ibid. p. LXXX seqq.
9) Ibid. p. CXXX.

Kusterus, Pauwius, Dorvillius, Schwarzius, Heringa, Ruhnkenius, Toupius, Schneiderus, Boivin le cadet, qui Antipatri Thessalonicensis in Pisonem epp. tractat in: Mém. de litt. tir. des reg. de l'acad. des inscript. et bell. lettr. Tome II p. 279—320.[10])

Totius vero Anthologiae cum quibusdam accessionibus alienis editio quatuor codicum Planudeorum et quorundam libri Palatini apographorum, emendationum virorum doctorum notarumque ineditarum auxilio instituta prodiit Argentorati auctore Brunckio, Analectorum nomine. In quibus singulorum poëtarum secundum aetates dispositorum carmina coniuncta leguntur: omnia ut darentur, promissum, non praestitum: carminibus per Planudem resectis forma quam integerrima reddita: textus non tam fide et sinceritate emendatissimus, quam editoris sagacitate mundissimus et expolitissimus: interpretatio fere intacta mansit.[11]) Postero tempore, antequam is, qui summo iure sospitator Anthologiae praedicari potest, manus suas operi inserebat, Wyttenbachii censura operis Brunckiani prodiit: Heyne in Commentt. soc. reg. Gotting. Vol. X, Wakefield in silvis criticis Anthologiae profecerunt: Ilgen in opusc. philol. T. II P. I p. 58 seqq., ubi Leonidae carmen cum aliis tum Antipatrico comparat, nonnulla de hoc disseruit: curas Meinekii et Mansonis in Meleagrum et Leonidas hoc loco praetereo.[12])

Venio nunc ad virum egregium, *cui uni*, ut Fr. Passovius in quaest. sua de vest. Cor. Mel. et Phil. in Anth. Const. Ceph. dicit, *plus debet salutis et ornamenti Anthologia Graeca quam ceteris omnibus, quotquot suavissimo huic Musarum diverticulo aliquam operam tribuerunt,* Fridericum Jacobsium. Lubet etiam eiusdem Passovii in Jahn. annal. 1827 I p. 59 iudicium describere: *So wie sich um das Studium der attischen Dramatiker dies höhere Verdienst Porson und Hermann erworben, so war es für die griechische Anthologie unserm Fr. Jacobs vorbehalten, in*

---

10) Ibid. p. CXXX—CLXIV. Praef. ad Vol. II P. II.
11) Anim. T. I P. I p. CLXV—CLXXXI.
12) Ibid. p. CLXXXI seqq.

welchem sich die Weihe des innern Berufs mit allen äusserlichen Begünstigungen zu dem ebenso seltenen als erfreulichen Ereigniss vereinigte, dass der erste Herausgeber eines sehr umfassenden, Kritik und Auslegung nach allen Seiten hin vielfach in Anspruch nehmenden Schriftwerkes seine schwierige Aufgabe durch unermüdlichen Forschungseifer, gediegene Gelehrsamkeit, durchdringende Schärfe des Urtheils und höchst gebildeten Dichtersinn im Wesentlichen so rein zu lösen vermogte, dass seinen Nachfolgern nur noch im Einzelnen Erwähnungswerthes zu leisten übrig geblieben ist. Quasi promulsidem dapum delicatissimarum edidit in bibl. vett. litt. et art. 1791: Animadversiones in Epp. nonnulla Anthologiae et Emendationes in Epp. Anth. Graec. Lipsiae 1793. Operis locupletissimi, quod subsidiis undique religiosissime comparatis, imprimis autem accuratissimo codicis, quod Uhdenus ad eum exegerat, apographo Gothano adiutus elaboravit, hic est titulus: Anthologia Graeca sive poetarum Graecorum lusus. Ex recensione Brunckii. Tom. I—IV Lipsiae 1794. 8. Tom. V. Indices ibid. 1795. F. Jacobs. Animadversiones in Epigrammata Anthologiae Graecae secundum ordinem Analectorum Brunckii Vol. I P. I (p. XXXI—CLXXXIV Prolegomena, in quibus historia Anthologiae Graecae narratur) Ib. 1798. P. II. Ib. eod. V. II P. I. Ib. 1799. P. II. Ib. 1800. P. III. Ib. 1801. V. III P. I. Ib. 1802. P. II Ib. 1803. P. III Ib. 1814, quae praeter Addenda et Emendanda quinque Indices, mantissam epp. Vaticani cod., epp. e libris edd. et marm. collecta et vitas poetarum complectitur.

Praeclare vero intelligens vir clarissimus, tum demum Anthologiae Graecae pristinum suum splendorem restitui posse, si quis integram ex codice Palatino edendam suscepisset, ad hoc negotium exsequendum quantum in se, qui in intimam eius familiaritatem intrasset, positum esset, non praestare hominibus litteratis noluit. Itaque prodiit: Anthologia Graeca ad fidem codicis olim Palatini nunc Parisini ex apographo Gothano edita. Tomi II Lipsiae 1813 et 1814. Tom. III, qui apparatum criticum complectitur una cum supplementis variarum lectionum ex ipso codice Palatino

summa denuo diligentia collato ab A. J. Paulssen, Lipsiae 1817. Neque tamen illis temporibus, quanquam nemo parem, solus Jacobsius operam epp. Graecis impendit. Aliquam laboris partem ei minuebant notae mss. et emendationes passim editae Buttmanni, Passovii, Schaeferi, Spitzneri, Bothii, Boissonnadii, Welckeri, Meinekii, Graevii Meleager, Huschkii anal. crit. Multi praeterea fuerunt, qui Anthologias ex Anthologiis facerent, carminum tamen interpretationem non curarent. Vide eos in Hoffmanni lex. bibl. T. I s. t. Anthologia.

In enumerandis virorum doctorum libris, qui post Jacobsii Anthologiam Palatinam circa eam versati sunt, et ii, qui ad Anthologiae salutem nihil contulerunt, et ii, qui Antipatros non tangunt, excludentur. A. 1822 demum, quod iam proximo saeculo inchoatum erat, opus absolutum est, editio Anthologiae Planudeae splendida per Hieronymum de Bosch eademque haud dubie ultima. Tria priora voll. a. 1795, 97 et 98 Ultraiecti in lucem emissa una cum H. Grotii interpretatione Graeco textui e regione posita. Quibus accessit a. 1810 IV vol. ed. comm. in libr. I et II continens. Quintum a. 1822 Jac. van Lennep e Boschii a. 1811 morte abrepti schedis et ipsius penu cum indicibus utilissimis edidit. In artis criticae exercitatione Boschius eo a veritate saepe aberrat, quod versioni Grotianae verba Graeca accommodare studet: in interpretatione saepenumero ultra necessitatem verbosus est resque admiscet alienas. Lennepii additamenta multa praeclara praebent. Respectu potissimum ad Antipatros habito ultimam operis partem pervolutavi nec tamen inde magnum fructum retuli.

Delectus epigrammatum Graecorum, quem novo ordine concinnavit et commentariis in usum scholarum instruxit Fr. Jacobs. Goth. et Erford. MDCCCXXVI (V. XX bibl. Gr. cur. Fr. Jac. et Val. Rost.). De laude huic libro impertienda tres censurae, quarum quaeque etiam ad carmina Antipatrorum quaedam affert, concinunt: I, Fr. Passovius in Annal. phil. et paed. ed. a M. J. Chr. Jahn 1817 I p. 58—76: Ueber die neusten Bearbeitungen der griechischen Anthologie, I. Artikel. II, P. Hofmann Peerlkamp in vol. IV bibl. crit.

nov. Lugd. Bat. 1828 p. 40—60. Ill, Ida in act. sch. univ. 1828 s. II nr. 40. 41.

Anthologiae Graecae epp. quaedam in Homerum, Sappho et Erinnam tum var. int. metr., tum al. suisque not. ill., audit. s. proposuit J. Dan. Schulze. Bonnae 1823, 4 (Programma, quod dicitur, scholasticum). Sex insunt epp. Ant. Sid.

Anth. Gr. epp. V in Euripidem, Hippocratem, Archilochum, Aratum et Pindarum t. v. i. m. t. a. s. n. i. J. D. Schulze. Essendiae 1826. 4. Ep. in Aratum Antipatro tribuitur.

Fr. Passovii quaestio de vestigiis Coronarum Meleagri et Philippi in Anthologia Constantini Cephalae, praemissa indici lectionum in Univ. litt. Vrat. per aestatem a. MDCCCXXVII instituendarum.

Ex interpretationibus germanicis tres tantum nomino praestantissimas et amplissimas: ceteras vid. in Hofmanni lex. bibl. J. G. Herder: Zerstreute Blätter Thl. 1. 2. Gotha 1785. 86, 8. sive: Hellas Veilchen, von Herder gepflückt, in einen Kranz gewunden von einem Freunde der griechischen Muse, Chemnitz 1801. 4. — G. L. F. Tafel: Polyhymnia, Tübingen 1809. 8. — Fr. Jacobs: Tempe, Leipzig 1803. 8. vel: Griechische Blumenlese, Gotha 1824. 8. (II Theil d. verm. Schr.)

Iam quaestio exoritur, ecquis veterum praeter Anthologiarum conditores carmina Antipatrorum servaverit. Integrum carmen Ant. Sid. solus habet Diogenes Laertius l. VII, 29, quod Jac. in Appendicem epp. recepit nr. 5. Ex iis carminibus, quae etiam in cod. Pal. exstant, Suidas in lexico multos versus affert, quos, quoniam saepius non solum cum depravata codicis scriptione conspirat, sed etiam cum proba, quam Planudes dein corrupit, ex ipsa Cephalae Anthologia depromsisse videtur. Jacobsius lexicographi locos in Anim. et Comm. crit. citare non neglexit. Ep. VI, 335 Ant. Thess. exscripsit auctor Etym. magni p. 487. Ep. VII, 15 exstat in marmore apud Donium p. 336; ep. VII, 316 distichon secundum in vita Platonis ed. in bibl. litt. et art. antiqu. fasc. V p. 14. Draco Stratonicensis ed. Hermann p. 31, 4 laudat Antip. ep. IX, 58 v. 1, p. 78, 9 eiusdem ep. v. 4, p. 82, 24 Antip. Sid. ep. IX, 323 v. 7. Ep. IX, 268 v. 1 Clemens Alex. laudat

in strom. IV p. 592, 7. Ep. XVI, 296 laudatur a Plutarcho de vita et poesi Homerica c. IV: ἄξιον δὲ μηδὲ τὸ ὑπὸ τοῦ Ἀντιπάτρου γραφὲν ἐπίγραμμα παραλιπεῖν, ἔχον οὐκ ἀσμένως (fortasse ἀσέμνως)· ἔχει δὲ οὕτως. Sequuntur verba epigrammatis. G. J. Vossius de hist. Graec. l. III Ant. Thess. hexastichon apud Stobaeum serm. XXXVII, qui est de temperantia, haberi dicit. Illud tamen (Anth. Pal. IX, 96) non ab ipso Stobaeo servatum, sed a Gesnero eius florilegio insertum est: quare in ed. Gaisfordiana merito deest. V. tit. V περὶ σωφροσύνης.

Tanta exiguitate aliorum fontium quum paene omnis Antipatrorum notitia codici Palatino et Anthologiae Planudeae debeatur, ut carmina iisdem casibus atque cetera epp. iactata sunt, sic eandem tractationem sibi postulare sponte sua elucet. Ac primum quidem, quoniam Const. Ceph. Anthologiam suam ex aliis excerpsit, tenendum est, minime omnia Antipatrorum carmina nobis esse tradita. Quamobrem conatum eius bonis litteris perniciosum funestumque facile quis dixerit: cui nos neutiquam assentimus, quinimo gratiam ei habendam esse existimamus, qui tot et tam egregios poetarum Graecorum lusus conservaverit: quis enim spondeat, absque Constantino futurum fuisse ut antiquiores illi et pleniores thesauri nobis recluderentur. Gratiam vel maximam nos ei habeamus, qui Antipatrorum plura, quam aliorum plerorumque in Anthologiam suam receperit. Quo pacto etiam rectius, quam alios, hos cognoscere possumus atque aequiorem iustioremque de iis ferre sententiam. Critici autem negotii difficultas ex ea re maxime repetenda est, quod tantummodo unum codicem possidemus. Is sane optimae est notae atque tam accurate iterum iterumque exscriptus et descriptus, ut Anth. Jac. Pal. aeque bene ac libro mscr. ipso utaris: tamen maculis quoque foedissimis, quarum haud paucae fortasse nunquam detergi poterunt, inquinatus, ita ut ipsa Anthologia campus sit latissimus, quo exsultet critica, quam dicunt, divinatoria, et vel post tot tantorumque virorum impetus multa restent, quibus vires probe exerceri possint. Codicibus enim et editionibus Planudeis magna auctoritas profecto non tribuenda est, postquam Jacobsius demonstravit, eius

Anthologiam, si pauca excipias, e Cephalana redundasse, eumque, ubi a codice declinet, plerumque non tam antiquorum librorum scripturam, quam suas ipsius emendationes et interpolationes videri praebere.

Hactenus in universum de difficultatibus, quae ex fontium conditione philologo in Anthologia versanti nascuntur: nunc de singulari, quam Antipatrorum carmina nobis afferunt. Haud enim parvus eorum est numerus, quae non Antipatro Sidonio vel Antipatro Thessalonicensi in codice consentiente Anth. Plan., sed vel Antipatro sine nomine gentili vel huic dissentiente Planudea, vel in ipso codice duobus simul auctoribus tribuuntur. Quaeritur ergo, utrius singula sint. Quam ad litem, quae saepe inextricabilis videtur, dirimendam egregie me iuvit Passovii quaest. de vest. etc. supra laudata: de ea igitur ante dicendum est, quam indicem carminum proponam. Iam quum non possim, quin in universum viri cl. disputationem comprobem, nihil nisi argumentum indicare opus est: pauca ea, de quibus aliter statuo, loco suo et tempore exhibebo. Vestigia illa indagaturo duplex datum est indicium: prooemia elegiaca ab utroque Anthologiae suae praefixa, e quibus nomina poetarum, a quibus profecerunt, si non omnium, tamen praestantissimorum cognovimus, et scholiastae in cod. Pal. verba, Meleagrum *συντάξαι αὐτὸν* [*τὸν στέφανον*] *κατὰ στοιχεῖα* i. e. epp. secundum litterarum ordinem disposuisse: qua in re Philippus, perpetuus Meleagri imitator, a ducis exemplo non deflexit. Ubicunque igitur per longius spatium continuae reperiantur epp. series, quorum scriptoribus in Meleagri aut Philippi hortulis locum fuisse scimus, singulorumque poematum initia ad ordinem illum decurrant, ibi haud ambigua alterius Coronae vestigia deprehendimus. Quo consilio si Anthologia Cephalae perlustratur, maxime in fine et in initio singulorum librorum, nonnunquam etiam in mediis, multa eiusmodi epp. cum aliis permixta reperimus, quos locos partim significavit Passovius. Neque tamen longiores epp. series, in quibus nomina poetarum ab ipso Meleagro laudatorum offeruntur, desunt: V, 134—215; VI, 109—163. 262—313; VII, 406—529. 646—665; IX, 313—338. 563—569: alterius indicii duae tantum

reliquiae VII, 194—203 et 264—271: quocirca non ipsa amplius Meleagri Corona, sed ex hac derivata usus esse Cephalas videtur. Eo quidem, quod multi poetae, qui a Meleagro non recensentur, in locis his reperiuntur, ratiocinatio tota non turbatur: noluit enim Meleager omnes nominare, ut ipse testatur, atque sunt ii aut eiusmodi, quorum aetas aliunde satis nota Meleagrea est antiquior vel eadem, aut eiusmodi, qui probabilibus coniecturis iisdem temporibus assignantur, aut eiusmodi, qui aetate plane incerta, quos νεόγραφα ἔρνη Meleager in prooemio praetermisit, esse videntur. Perpauca sane eius Coronae inserta inveniuntur, quae ei inseri nequaquam poterant, ut tria epp. Ant. Thess. VII, 409. 413. 493. Tantum vero abest, ut sententiae summa his exceptionibus convellatur, ut suspicio de recentiore sylloge a Cephala usurpata confirmationem hinc accipiat. Fragmenta Anthologiae Philippeae indubitata tredecim agnovit Passovius: V, 104—133. VI, 87—108. 227—261. VII, 364—405. 622—645. IX, 81 —89. 215—312. 403—423. 541—562. X, 18—25. 100 —103. XI, 23—46. 49 et 50. 318—327, excepto uno 323. Quod ita probavit, ut poetas partim eos esse, quos Philippus in prooemio nuncupet, demonstraret, partim eos, quos idem nomine τῶν περισσῶν complexus sit, quum vitae temporibus inter Meleagrum et Philippum mediis aut necessario sint assignandae, aut, ubi diserta aetatis indicia desiderentur, certe non repugnent. „Unum obstat Ant. Sid. nomen, tribus epp. praefixum VI, 93. VII, 625. IX, 231. At quum reliqua omnia in nostram sententiam amice conspirent, tria haec carmina ad Thess. Ant. referre eo minus dubitandum videtur, quo arctiore vinculo per ordinem litterarum ceteris epp. adstricta sunt, quibus in Cor. Phil. locum datum fuisse aut certis argumentis scimus, aut probabili facilique coniectura ducti suspicamur.“ Etiam ordinis litterarum non fugientia vestigia his locis hic illic leviter sunt impressa, sed ita regnant, ut duplex indicium ubique coniunctum reperiatur. Locus enim XI, 23—46 videtur tantum repugnare, quia non turbatus ibi est litterarum ordo, sed inversus. Duo praeterea loci, in quibus littera *Σ* inter *E* et *H* inserta est (VI, 239. IX, 410) ita facillime cum sententia nostra consociantur,

ut Philippi orthographiam Ζμήνεος et Ζμίνθος sive a Constantino, sive ab eius librario temere mutatam esse credamus. In fine dissertationis Passovius, quid utilitatis inde capiatur, ostendit, et carmina anonyma, quae sive Gadarenae sive Thessalonicensi Coronae vindicata non omni aetatis nota amplius carent, laudans, et carminum Ἀντιπάτρου et Λεωνίδου inscriptorum, quae in utraque Corona reperiuntur, auctores partim Sidonium et Tarentinum, partim Thessalonicensem et Alexandrinum praedicans.

Quibus praemissis nihil obstat, quominus locos enumerem, ubi carmina Antipatrorum singula et in Anthologia Graeca ex recensione Brunckii edita (hanc placet brevitatis caussa hoc compendio significare: A. L. i. e. Anthologia Lipsiensis) et in Anthologia Graeca ad fidem codicis Palatini edita [A. P.] asserventur. Neque ab re visum est, quotquot in Delectum Epigrammatum [D. E.] recepta sunt, simul indicare, praesertim quum ibi editor cl. saepius sententiam suam mutaverit.

INDEX CARMINUM.

ANTIPATER SIDONIUS.

I. Carmina, quae in cod. Pal. huius nomen prae se ferunt Anthologia Planudea sive consentiente sive non repugnante.

A. P.	A. L.	D. E.
VI, 14	Ant. Sid. 15.	
46	- - 10.	
47	- - 9.	
159	- - 11.	
160	- - 26.	
206	- - 21.	
VII, 2	- - 69	IV, 13.
6	- - 68	11.
8	- - 67	1.
14	- - 70	29.
23	- - 72	44.
26	- - 74	45.
27	- - 73	46.
29	- - 75.	
30	- - 76.	

VII, 34	Ant. Sid.	79.	
81	- -	60	IV, 92.
146	- -	65	II, 20.
161	- -	92	III, 4.
164	- -	85.	
172	- -	105	VIII, 18.
218	- -	83	110.
241	- -	99	119.
246	- -	101.	
303	- -	102	XI, 43.
353	- -	90	VIII,100.
423	- -	89.	
424	- -	87.	
425	- -	88	104.
426	- -	91	III, 25.
427	- -	93	VIII,144.
745	- -	78	IV, 38.
748	- -	51.	
IX, 66	- -	46.	
720	- -	57.	
721	- -	58.	
722	Epp. anon.	221.	
723	- -	222.	
724	Ant. Sid.	55.	
X, 2	- -	37.	
XVI,167	- -	31	I, 42.
178	- -	32.	
XVII, 5	- -	81.	

Annotationes. VII, 8. Anth. Plan. ed. Steph. et Wech. nomen gentile non addunt. In A. L. T. XIII p. 846 hoc ep.: LXVII adscribas ad lineolam 21. — VII, 164. Cod. lemma: εἰς τὴν αὐτὴν πρηξῶ τὴν σαμ ἀντιπάτρου σαμ ineptum, quod ad nomen gentile attinet poetae. Scribendum erat: σιδ. i. e. Σιδωνίου. Caussa erroris in oculos incurrit. — VII, 218. Ant. Sid., non Ant. epp. hocce annumerandum erat in Ind. Poet. A. P. p. 1013. — VII, 303. D. E. XI, 43. Lemmati in hoc D. E. adscribas: Σιδωνίου et in Ind. Poet. p. 491 transferas hoc ep. ex epp. Ant. in epp. Ant. Sid. — VII, 425. D. E. VIII, 104. Idem facias, quod in proximo carmine fieri iussi. — VII, 427. D. E. VIII, 144. Utrobique inscriptum est: Ἀντιπάτρου, codicis praecepto illic: τοῦ αὐτοῦ, hic Ἀντ. Σιδ. inscribi debebat et in Ind. Poet. A. P. p. 1013 et D. E. p. 491. epp. Ant. Sid., non Ant. addi. — IX, 722. Vett. edd. Plan. lemma ommittunt. — XVII, 5. In A. L. T. XIII

p. 846 ante lin. 23 appingas hoc carmen, LXXXI. — Jac. in Ind. Poet. A. P. p. 1013 Ant. Sid. epp. adscripsit: VI, 15. VII, 165, quae, quia duorum auctorum nominibus sunt insignita, ad dubia referam; idem faciam de epp. VI, 93. VII, 625. IX, 231 ob caussam, quam ex enarratione quaestionis Passovianae facile intelligas.

II. Carmina, quae Passovius Antipatro Sidonio vindicavit.

VI, 109	. . . .	Ant. Sid. 17.	
111	. . . .	- - 19	I, 30,
118	. . . .	- - 20.	
276	. . . .	- - 25.	
287	. . . .	- 23.	
291	. . . .	- - 59	XI, 49.
VII, 464	. . . .	- - 104	VIII, 79.
467	. . . .	- - 110	127.
498	. . . .	- - 106	51.
IX, 323	. . . .	- - 29.	
567	. . . .	Thess. 32.	

Ann. Tria praeter haec enumerat vir cl., quae hic omissa esse noli mirari. De auctore enim ep. VI, 115 quaestio etiamnunc nondum absoluta videtur, quare dubiis adscribam. — Ep. VII, 427 Sidonio addere non opus habuisset, si in A. P. I, p. 434 nomen gentile esset adscriptum. — VII, 472 non Ant., sed Leonidae est, iisque adiungendum, quae per Passovium Tarentini esse compertum habemus. — VI, 291 bis in membr. legitur p. 179 Ἀντιπάτρου et p. 383, ubi ἄδηλον est. In Plan. non minus auctoris nomine caret. — VII, 467. Jac. huius ep. in Ind. Poet. A. P. p. 1013 plane oblitus esse videtur.

III. His ego addo:

VI, 174	. . . . .	Ant. Sid. 22.
IX, 729	. . . . .	- - 56.

Ann. Ep. VI, 174. Cod.: Ἀντιπ. Nomen gentile Plan. addit. — IX, 729. Cod.: εἰς αὐτό. Plan.: Ἀντ. Σιδ. De veritate huius lemmatis dubitare non licet, quum in cod. praecedat carm. Ant. et Ant. Sid. quinque epp. in Myronis buculam composuerit.

ANTIPATER THESSALONICENSIS.

I. Carmina, quae codex, cui Anth. Plan., sicubi non consentit, certe non contradicit, Ant. Thess. esse affirmat.

V, 3	. . . .	Ant. Thess. 5	V, 45.
30	. . . .	- - 2.	

V,	31	. . . Ant. Thess.	3	. . . V,	46.
VI,	198	. . . - -	21	. . . I,	111.
VII,	18	. . . - -	56	. . . IV,	37.
	39	. . . - -	57	. . .	55.
	168	. . . - -	48	. . VIII,	94.
	185	. . . - -	60	. . .	135.
	216	. . . - -	50	. . . X,	56.
	236	. . . - -	58	. . . III,	23.
	286	. . . - -	66.		
	530	. . . - -	55.		
	531	. . . - -	26.		
	666	. . . - -	54	. . . IX,	23.
IX,	10	. . . - -	44	. . . X,	58.
	26	. . . - -	23.		
	82	. . . - -	51	. . . XI,	56.
	92	. . . - -	30.		
	112	. . . - -	6.		
	186	. . . - -	25	. . . IV,	66.
	268	. . . - -	38	. . . X,	20.
	428	. . . - -	14.		
	517	. . . - -	28.		
XI,	20	. . . - -	45	. . . IV,	91.
	327	. . . - -	4	. . . VI,	47.

Ann. VI, 198. In Plan. nonnisi duo priora disticha leguntur, sine auctoris nomine. — VII, 39 et 236. In A. L. T. XIII p. 850 lin. 15 adscribas LVII et LVIII. — VII, 168. In Anth. Plan. ἄδηλον est. — VII, 185. In A. P. operarum errorem corrigas: legitur enim ibi VII, 195. — VII, 216 anonymum est in Anth. Plan. — VII, 236. In Plan.: Ἀνύτης manifesto, ut demonstrare conabor, errore inscriptum est. — VII, 286. IX, 186. 428. In Plan. nomen gent. deest. — In Ind. Poet. A. P. p. 1014 leguntur etiam haec carmina: VII, 409. 413. 493. Quae quum in iis Anth. partibus, quas Passovius e Meleagro fluxisse contenderit, inveniantur, de veritate lemmatis ambigi potest dubiisque a me addentur. — Etiam: IX. 77. 269. 752, quae pluribus auctoribus simul tribuuntur, h. l. de industria non notavimus. — In eodem Ind. Poet. compendium Plan. desideratur ante 143 lin. 7.

II. Accedunt sex carmina Ant. Macedonis, eiusdem hominis.

VII,	289	. . . Ant. Thess.	62	. . VIII,	49.
IX,	46	. . . - -	41	. . . I,	25.
	215	. . . - -	52.		
	282	. . . - -	40	. . X,	105.
	421	. . . - -	37	. . IX,	21.
XVI,	143	. . . - -	31.		

Ann. Horum epp. quinque Jac. retulit ad Ind. Poet. A. P. p. 1014, unum omisit IX, 46. — VII, 289. D. E. VIII, 49. In Ind. Poet. D. p. 491 errato typothetae: VI, 49 legitur. — IX, 46. In Plan. Steph. Καλλινίου. Quod nomen ab Anthologia abhorret.

III. Carmina, quae Passovius Thessalonicensi Antipatro restituit.

V,	109	. . . Ant.	Sid.	6.		
VI,	241	. . . . -	Thess.	11.		
	249	. . . . -	-	13.		
	256	. . . . -	Sid.	40.		
VII,	367	. . . . -	Thess.	64.		
	369	. . .	Cereal.	3.		
	390	. . . Ant.	Thess.	67	. . .	XI, 1.
	398	. . . . -	Sid.	107	. . .	2.
	402	. . . . -	Thess.	65	. . .	34.
	629	. . . . -	-	59.		
	637	. . . . -	Sid.	96	. . .	VIII, 63.
	639	. . . . -	-	108	. . .	45.
	640	. . . . -	Thess.	49	. . .	XI, 59.
IX,	238	. . . . -	Sid.	30.		
	241	. . . . -	-	2.		
	297	. . . . -	Thess.	20.		
	302	. . . . -	-	53	. . .	X, 62.
	305	. . . . -	Sid.	7	. . .	VII, 22.
	309	. . . . -	-	109.		
	408	. . . . -	Thess.	35	. . .	IX, 19.
	417	. . . . -	Sid.	64	. . .	X, 19.
	418	. . . . -	Thess.	39.		
	420	. . . . -	Sid.	5.		
	541	. . . . -	Thess.	15.		
	550	. . . . -	-	36	. . .	IX, 22.
	552	. . . . -	-	12.		
	557	. . . . -	Sid.	39	. . .	III, 44.
X,	25	. . . . -	Thess.	18.		
XI,	24	. . . . -	-	1.		
	31	. . . . -	Sid.	8	. . .	VII, 3.
	37	. . . . -	Paralip.	120.		

Ann. Passovius habet etiam carmen IX, 266: quod quum in Anth. Plan. Philippo detur, index meus epp. dubiorum excipiet. Notavit idem XI, 23: ego propter nomen Seleuci aliquam dubitationem iniiciens ad dubia scribam. — VI, 241. 249. IX, 541. 552. X, 25. Quum Ant. Thess. ep. IX, 428 ad C. Calpurnium Piso-

nem directum sit, iam huius viri mentio in his epp. facta, satis eundem Antipatrum auctorem prodit. — VII, 369. In Plan. ἄδηλον est. Qui Brunckius Cerealio addicere potuerit, non apparet. — IX, 408. Cod. lemma: Ἀπολλωνίδου, οἱ δὲ Ἀντιπάτρου. Huius esse demonstrat ep. Alphei IX, 100. — IX, 550. Salmas. in Tertull. p. 151 temere Alpheo Mitylenaeo assignat. Vel argumenti similitudo cum ep. IX, 421 suadet, ut ab Antipatro Macedone profectum credatur.

IV. Tria carmina, de quibus in argumento quaestionis Passovii dictum est.

VI, 93	. . . Ant. Sid. 13	. . .	I, 113.
VII, 625	. . . . - 97	. . .	XI, 60.
IX, 231	. . . . - 38	. . .	X, 84.

Ann. IX, 231. Plan. Antipatro adscribit.

V. Eadem de caussa, qua tria illa ad Thess. relata sunt, ego quartum ad eum refero:

IX, 407 . . . Ant. Sid. 103.

Ann. Cod.: Ἀντ. Σιδ. A. P. T. II p. 144: Ἀντιπάτρου Καρυστίου. Alterum nomen perperam ex ep. antecedente repetitum est. Quod vitium Passovio p. 7 commentario critico non inspecto necessario turbas fecit.

VI. Ant. Thess. praeterea haec carmina tribuenda sunt:

a, tria, quae Jacobsius ad carmina Antipatri scripsit.

VI, 208	. . . Ant. Thess. 22.		
209	. . . . Sid. 24	. . .	I, 39.

Ann. VI, 208 bis legitur in cod., altero loco Antipatro, altero Ant. Thess. additum. Quapropter etiam VI, 209 inscriptum τοῦ αὐτοῦ ab Ant. Thess. profectum sit oportet.

IX, 96 . . . Ant. Thess. 46 . . . VII, 6.

Ann. Nomen gentile, quod in cod. deest, Plan. addit.

b, propter Pisonis commemorationem

VI, 335 . . . Ant. Thess. 10.
IX, 93 . . . . - - 17.
XVI, 184 . . . - - 16.

c, ob Caii mentionem factam.

IX, 59 . . . Ant. Thess. 19.

d, ob Pyladem.

XVI, 290 . . . Ant. Thess. 27 . . . IV, 89.

Ann. VI, 335. Cf. etiam Etym. m. p. 487: καυσίη· Ἀντίπατρος ὁ Θεσσαλονικεὺς ἐπιγράμματι etc. — IX, 93 Cod: Ἀντ. Σιδ., sed suprascriptum Ἀντ. Θεσσ. In A. P. et in Plan. neutrum nomen gentile comparet. — XVI, 184. Plan. Sidonio vitiose tribuit.

CARMINA DUBIA.

I. Index carminum Antipatri in A. P. T. III. p. 1013.

VI,	10	Ant.	Sid.	12.		
	115	-	-	18.		
	219	-	-	27.		
	223	-	-	14	X,	78.
VII,	15	-	-	71	IV,	26.
	65	-	-	80		105.
	75	-	-	77		
	136	-	-	66	II,	25.
	209	-	-	111	X,	76.
	210	-	-	63		43.
	232		Anyt.	20		
	252	Ant.	Sid.	100		
	287	-	Thess.	69	VIII,	48.
	288	-	-	61		
	316	Leon.	Al.	39	IV,	102.
	692	Ant.	Thess.	68		
	705	-	-	34	IX,	16.
	711	-	Sid.	98	XI,	35.
	713	-	-	47	IV,	30.
	743	-	Thess.	63	VIII,	88.
IX,	3		Platon.	20	X,	88.
	23	Ant.	Thess.	47	VIII,	22.
	58	-	Sid.	52	IX,	26.
	72	-	-	28	I,	60.
	76	-	-	62	X,	46.
	143	-	-	53	I,	37.
	149	-	-	95	XI,	11.
	150	-	-	94		12.
	151	-	-	50	IX,	18.
	266	-	Thess.	29		
	[553	-	-	33		37.]
	603	-	-	70		
	706		Paral.	86	X,	104.
	728	Ant.	Sid.	54		
	790	-	-	36	IX,	27.
	792	-	-	53a		
XI,	158	-	-	61	IV,	112.
	219	-	Thess.	7		

XI,	224	Ant.	Sid.	4.	
	415	-	Thess.	8.	
XII,	97		Sid.	3.	
XVI,	75	-	Thess.	9.	
	131	-	Sid.	42	II, 2.
	133	-	-	43.	
	175	-	-	33.	
	176	-	-	34	I, 2.
	197	-	-	41.	
	220	-	-	35.	
	296	-	-	45	IV, 7.
	305	-	-	48	49.

Ann. Jac. in Ind. Poet. A. P. p. 1013 notavit haec quoque carmina: VII, 218. 427. IX, 407, quae a me iam aliis locis inserta sunt. Ad eundem Ind. referenda erant epp. VII, 467. IX, 58. 297. 706.

II. Accedunt propter causas in notis iam indicatas ex carminibus Ant. Sid. tributis:

VI,	15	Ant.	Sid.	16.	
VII,	165	-	-	86.	

ex carminibus Ant. Thess. tributis:

VII,	409	Ant.	Thess.	24	IV, 69.
	413	-	Sid.	82	111.
	493	-	-	84	XI, 30.
IX,	77	-	Thess.	43	
	269	-	-	42	XI, 57.
	752		Asclep.	33	
XI,	23	Ant.	Sid.	1	VII, 23.

III. Addo denique:

VII,	7		Epp. annon.	501	
IX,	25	Ant.	Sid.	49	IV, 82.
XI,	170		Nicarch.	19	

PARS II.

DE ANTIPATRO SIDONIO.

CAPUT II.

VITA.[13])

Nomen Ἀντίπατρος haud infrequens est et ignobile apud Graecos. Fuerunt enim varii Antipatri, alii poetae, alii philosophi, alii historici. Quorum quot novi, nunc temporum ordine conservato, ne nostri cum cognominibus confundantur, breviter recensebo. Praeter Antipatrum Sidonium et Thessalonicensem nominantur a veteribus:

A. Cyrenaicus, philosophus, coecus, discipulus Aristippi. Huius duo excerpta apud Stobaeum e disputatione περὶ γάμου esse, Schöllius existimat in hist. Gr. litt. t. II p. 150. Diog. Laert. II, 86. Cic. Tusc. V, 37.

A., Alexandri Magni successor, scripsit de rebus Perdiccae apud Illyrios gestis et epistolas. Plut. vit. Coriol. Suid. Cic. Off. II, 14.

[A., curator testamenti Aristotelis. Diog. Laert. V, I, 9.]

A. Tarsensis, Stoicus, Diogenis Babylonii successor et Panaetii magister, scripsit περὶ δεισιδαιμονίας, περὶ ὀργῆς, de divinatione. Nomen καλαμοβόας ab im-

13) De vita Ant. Sid. vide inprimis G. J. Voss. de nat. log. c. 8. § 18, de vet. poet. temp. p. 68, de hist. Gr. l. IV: Jons. de scr. hist. phil. I, 13: Fabr. bibl. Gr. v. III p. 587, v. IV p. 462: Reisk. not. poet. p. 185: Jacobs. A. L. T. XIII p. 846—848; Clint. fast. hell. T. III p. 119. 139. 527.

pugnatione Carneadis traxit. Plut. Moral. p. 514. d. vit. Tib. Grach. c. 8. Athen. VIII, 346, C. Diog. Laert. VII, 1, 64. Cic. Acad. IV, 6. 9. De divin. I, 3. 20. II, 15. Off. III, 12.
[L. Coelius A. scripsit belli Punici II historiam. Cic. Brut. 28. Or. II, 12. Leg. I, 2.]

A. Tyrius, Stoicus, scripsit περὶ τοῦ καθήκοντος, περὶ κόσμου, περὶ οὐσίας, περὶ ψυχῆς. Paullo ante quam filius M. Ciceronis Athenas venisset, mortuus est. Catonis Uticensis amicus fuit. Plut. vit. Cat. min. c. 4; Diog. Laert. VII, 1, 70. 72. 77. 84. Cic. off. II, 24.
[A. Derbetes, familiaris Ciceroni. Cic. ad. div. XIII, 73.]
[A., unus e sodalibus, quos Plutarchus in Sympos. laudat, eius aetate vixit.]

A. Hierapolitanus, qui fuit ab epistolis Septimio Severo et praefectus Babyloniae, magister Caracallae et Getae. Philostr. vit. soph. II.

Plane incerta aetas horum est: A., qui περὶ Ῥόδου scripsit. Steph. Byz. voc. Ἀρμενία. A., qui secundum scholiastam ad Apoll. Rhod. περὶ ζώων scripsit: idem, ni fallor, quem Plin. hist. nat. VIII, 5 citat. A., Grammaticus fortasse, qui Laso cyclici chori inventionem tribuit apud schol. ad Arist. av. A., ὀνειροκριτικῶν auctor apud Artemidorum. A. Medicus Methodicus apud Galen. meth. med. l. I. A. περὶ λέξεων καὶ τῶν λεγομένων, περὶ ὅρων. Diog. Laert. VII, 1, 39. 42. A. rhetor, in quem epigramma confecit Ant. Thess. Anth. Pal. VII, 369, fortasse poetae aequalis.

Antipatri Sidonii carminibus temporis, quo poeta vixit, nulla fere vestigia sunt impressa. Ep. VII, 426 in Teleutiam compositum est, Agesilai fratrem, qui in proelio ad Olynthum obiit Ol. XCIX, 3. Xen. hist. Gr. V, 3. 6. Quo tamen ex ep. tantum concludi potest, Antipatrum post illa tempora vixisse. Ep. VI, 111 Thearidem commemorat. Hoc nomen legitur apud Plut. T. II p. 221 c. Alium apud Polyb. XXXII p. 577 et 685 reperimus, qui Ol. CVIII, 1 vixit. Quis autem contendat, horum alterum eum esse, quem Antipater nominet? Neque ex ep. VII, 241, quod Ptolemaei, regis filii, mortem luget, aliquid certi de vita poetae nostri effici potest. Videndum igitur est, meminerintne alii scriptores Antipatrum Sidonium. Optime nobis

succurrit locus Ciceronis de Orat. l. III c. 50: „quodsi Antipater ille Sidonius, quem tu, Catule, probe meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valebat exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur.“ Verba sunt oratoris L. Licinii Crassi, qui secundum Cic. Brut. 43 a. u. c. 614 natus Consulatum a. 659 cum Q. Mucio Scaevola gessit et a. 663 mortuus est. Eodem anno dialogus de Oratore, quem Cicero cum Qu. fratre communicat, habitus est. Cf. de Or. I, 7. 11. III, 7. Crassum Quaestorem in Macedonia fuisse scimus: quare vero perquam simile est, eum in Graecia versantem Antipatrum nostrum cognovisse. Quaeritur ergo, quo anno Quaesturam gesserit: procul dubio ante a. 647, quo Tribunus plebis erat: cf. Cic. Brut. c. 43: neque tamen, ut videtur, ante annum 645, quo ad annum unum et tricesimum, aetatem Quaesturae legitimam, (Ernest. Cic. ind. leg. v. Annal. et Pigh. annal. t. II p. 334) pervenit. Q. Lutatius Catulus, qui a. 666 a Mario proscriptus se ipse interfecit, et C. Marius quartum a. 652 Coss. fuere. A. 663 probe meminisse Antipatrum in loco Ciceronis dicitur: decem igitur vel viginti annos ante cum poeta versatus esse videtur, Antipater a. 643 superstes fuisse: quod bene convenit cum eo tempore, quo Crassus in Macedonia commoratus est. Sed ne nimis multum huic, quippe quae non satis tuta sit, coniecturae dedisse videar, usque ad a. 630 Antipatrum inter vivos fuisse i. e. anno tricesimo tertio ante mortem Crassi, annum tunc decimum tertium agentis, contendam. Facilitatem Antipatri extemporalem, qua Cicero tanquam exemplari utitur, ex hoc auctore Quinctilianus eodem consilio laudat, l. X, 7, 19: „caeterum pervenire eo debet (facilitas extemporalis), ut cogitatio non utique melior sit ea sed tutior; cum hanc felicitatem non prosa modo multi sint consecuti, sed etiam carmine, ut Antipater Sidonius et Licinius Archias: credendum enim Ciceroni est.“ Ad vitam poetae nostri facit dein Plinius in hist. nat. VII, 52: „Antipater Sidonius poeta omnibus annis

uno die tantum natali, corripiebatur febre, et eo consumptus est satis longa senecta." Eadem de Antipatro refert Valerius Maximus I, 8, ext. 16: „At poeta Antipater Sidonius, omnibus annis, uno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur. Cumque ad ultimam aetatem pervenisset, natali suo certo illo circuitu morbi consumtus est." Conferas etiam Ciceronem de fato c. 3: „quorum in aliis, ut in Antipatro poeta — —, ut in reliquis eiusmodi, naturae contagio valet, quam ego non tollo, vis est nulla fatalis." Similia febrium genera, quae singulis annis in diem natalem incidunt, refert et Schenkius Obss. Med. L. VI, p. 825, alia item febrium, quae singulis hebdomadibus mensibusque recurrunt. Die autem natali suo decessisse etiam Plato dicitur, quod obiter moneo e Senec. ep. 58. Antipater igitur, qui a. u. 630, circa quem facilitatem extemporalem Catulo probavit, nondum senex fuisse videtur, etiam ultra id tempus vitam prorogasse ideoque circum Olymp. CXLVIII natus esse videtur.

Penultimo igitur ante Christum saeculo quum Antipater vixerit, Meleagrum, qui circiter Olymp. CLXX Coronam suam Epp. fecit, aequalem ei fuisse et tantum eius carmina recipere potuisse patet. Thessalonicensis enim, ut suo loco demonstrabitur, Augusti temporibus floruit. Itaque apud Meleagrum in versu prooemii jam laudato

φοίνισσάν τε νέην κύπρον ἀπ' Ἀντιπάτρου

Antipater Sidonius significatur: cujus rei etiam in verbis ipsis testimonium inest. Quemadmodum ceteri poetae floribus, noster *κύπρῳ* comparatur, et quidem *νέῃ*, quia poetae nuper mortui flores erant recentes. *Κύπρος* qualis sit, Dioscorides de mat. med. l. I c. 124 docet: *κύπρος δένδρον ἐστὶ περὶ ταῖς ῥάβδοις φύλλα ἔχον ἐλαίᾳ παραπλήσια, πλατύτερα δὲ καὶ μαλακώτερα καὶ χλωρότερα, ἄνθη λευκά, βοτρυώδη, εὐώδη, σπέρμα μέλαν, ὅμοιον τῷ τῆς ἀκτῆς. γεννᾶται δὲ ἀρίστη ἐν τῇ Ἀσκάλωνι καὶ Κανώπῃ.*" Mire in hac arbore describenda dissentit Plin. hist. nat. XII, 24: „Cypros in Aegypto est arbor ziziphi foliis, semine coriandri, candido, odorato. Coquitur hoc in oleo premiturque postea, quod Cyprus vocatur. Pretium ei in libras XV. Optimum habetur e Canopica, in ripis Nili nata: secun-

dum Ascalone Judaeae: tertium Cypro insula, odoris suavitate. Quidam hanc esse dicunt arborem, quae in Italia ligustrum vocetur.“ Nihil nisi natale solum et nomen utrique idem, genus omnino dispar esse apparet. Romanorum autem ligustrum, fruticem abjectissimum, floribus candidis neque odoriferis, diversum esse a κύπρῳ, cum Bodaeus a Stapel. ad Theophr. hist. plant. 1, 63, tum Harduinus ad Plin. l. l. declarant. Φοίνισσα ad colorem purpureum pertinere nequit, quandoquidem κύπρος Dioscoridis flores habet candidos: itaque de patria erit intelligendum. Arboris an poetae? Mansoni in ed. Mel. illud magis placet, mihi hoc. Quamvis enim verisimillimum sit, κύπρον, quae in Judaea vel potius in Idumaea gignatur, non minus in Phoenice reperiri, arborem hanc Aegypto quoque, Cypro et procul dubio multis aliis locis propriam cur Phoeniciam κατ' ἐξοχὴν appellaret, Meleager caussam nullam habuit. Quocirca vel de poeta solummodo cogitandum esse videtur, vel dicendum, Meleagrum κύπρον, quae reapse Phoenicia sit, Phoeniciam non appellaturum fuisse, nisi simul poetae patriam indicare voluisset.

Meleager poetae nostri, quem eam ob caussam a. 100 ante Christum jam mortuum fuisse necesse est, tumulum epigrammate ornavit. Anth. Pal. VII, 428. Anth. Lips. Mel. 123:

Ἀ στάλα, σύνθημα τί σοι γοργωπὸς ἀλέκτωρ
ἔστα, καλλαΐνᾳ σκαπτοφόρος πτέρυγι;
ποσσὶν ὑφαρπάζων Νίκας κλάδον· ἄκρα δ' ἐπ' αὐτᾶς
βαθμῖδος προπεσὼν κέκλιται ἀστράγαλος.
ἦ ῥά γε νικάεντα μάχᾳ σκαπτοῦχον ἄνακτα
κρύπτεις; ἀλλὰ τί σοι παίγνιον ἀστράγαλος;
πρὸς δέ, τί λιτὸς ὁ τύμβος; ἐπιπρέπει ἀνδρὶ πενιχρῷ,
ὄρνιθος κλαγγαῖς νυκτὸς ἀεγρομένῳ.
οὐ δοκέω· σκᾶπτρον γὰρ ἀναίνεται, ἀλλὰ σὺ κεύθεις
ἀθλοφόρον, νίκαν ποσσὶν ἀειράμενον.
οὐ ψαύω καὶ τῇδε· τὸ γὰρ ταχὺς εἴκελος ἀνὴρ
ἀστραγάλῳ; νῦν δὴ τὠτρεκὲς ἐφρασάμαν.
φοίνιξ οὐ νίκαν ἐνέπει, πάτραν δὲ μεγαυχῆ
ματέρα Φοινίκων, τὰν πολύπαιδα Τύρον.
ὄρνις δ', ὅττι γεγωνὸς ἀνήρ, καί που περὶ Κύπριν
πρᾶτος, κὴν Μούσαις ποικίλος ὑμνοθέτας.

σκᾶπτρα δ' ἔχει σύνθημα λόγου· θνάσκειν δὲ πεσόντα
οἰνοβρεχῆ, προπετὴς ἐννέπει ἀστράγαλος.
καὶ δὴ σύμβολα ταῦτα. τὸ δ' οὔνομα πέτρος ἀείδει,
Ἀντίπατρον προγόνων φύντ' ἀπ' ἐρισθενέων.

Argumentum hoc est: Meleager in cippi, cui gallus gallinaceus sceptrum alis, palmam unguibus tenens et talus pronus erant insculpti, interpretatione, postquam varia divinavit, denique verum assequitur. In explicando hoc carmine multi viri docti, inter omnes amplissime Dorvill. in vann. crit. p. 139—167 versati sunt: quos Jac. in Anim. indicat. Iam ea accuratius consideremus, quae ad vitam poetae aliquid habent momenti. V. 13. Palma non victoriam, sed defuncti denotat patriam, Tyrum. Dubitari ergo potest, utrum auctore Meleagro hanc urbem an vulgari auctoritate Sidonem patriam esse Antipatri credamus. En rationem, qua lis componatur. Is enim, qui nihil nisi palmam conspiciebat eaque patriam significari intellexerat, magis ad Tyrum, Phoenicum originem, quam ad Sidonem delegari videbatur. Ceterum Tyrus et Sidon iuxta iacebant, Sidoniusque apud Romanorum poetas etiam Tyrium et Phoenicem significat. Gallus indicat, Antipatrum fuisse virum vocalem, voce canora. *Καί που περὶ Κύπριν πρᾶτος.*, Gallus avis salacissima: vid. Colum. VIII, 11, 5: itaque vir in Venerem proclivior Antipater fuit. *Ἐν Μούσαις ποικίλος ὑμνοθέτας*, poeta numerosus. *Ποικίλος* enim vocatur, quia vario carminum genere lusit. *Σκᾶπτρα δ' ἔχει σύνθημα λόγου.* *Σκῆπτρον σημεῖον τῆς βασιλείας καὶ λόγων καὶ δίκης κατὰ τοὺς παλαιοὺς* Eustathius ait ad Il. I, 15 p. 25. Legati enim et oratores sceptrum gestabant, quod iis a praeconibus verba facturis porrigebatur. Il. III, 216. XXIII, 568. Od. II, 37 et 80. Coniici ex hoc loco licet, Antipatrum non solum poetam, sed etiam rhetorem fuisse, cui bene *γεγωνός* conveniret: quem longe lateque audiebant. Possit tamen etiam ad poesim respici et *λόγοι* de facundia poetica intelligi. Poetae olim *ἐπὶ ῥάβδῳ*, quam Hes. Theog. v. 30 sceptrum adpellat, *δάφνης*, ramum lauri tenentes, canebant. *Προπετὴς ἀστράγαλος.* *Ἀστράγαλος*, quia aleatores a Baccho plerumque non sunt alieni, vinositatem, inclinatus mortem casu advenientem significat. Haec igitur alia

est de morte narratio: potest tamen poeta inebriatus esse, ut febris ardorem facilius perferret. Προγόνων φύντ' ἀπ' ἐρισθενέων. Familia clara et potenti ortus erat. Ex App. epp. in A. P. 5 in Zenonem Cittiensem, philosophiae Stoicae auctorem, composito, qui defunctus ad Olympum properasse perhibetur, sola sibi sapientia et continentia via ad superos munita, non inepte concludas, poetam Stoicae disciplinae deditum fuisse. Melius nunc de ep. VII, 241 iudicari potest, in Ptolemaeum, regis Aegypti filium, quem ante patrem obiisse luget poeta. Reiskius eum filium Ptolemaei Epiphanis, qui regnavit inde ab a. 204—181 a. Chr. fuisse suspicatur: illo tamen tempore Antipater tenerrima aetate, fortasse nondum natus erat: Clintoni igitur adstipulor, qui eum Ptolemaei Philometoris filium habet. (181—147) Nititur ista coniectura nomine Andromachi v. 4. Reiskius enim pro ἀνδρομάχοις vult Ἀνδρόμαχος. Andromachus legatus a Ptolemaeo Philometore, non a Physcone, ut Jac. dicit in Anim., Romam missus est a. 154 a. Chr.: tantum igitur abest, ut debilitet, ut confirmet haec coniectura nostram sententiam. Cf. Polyb. XXXIII, 5. 4.

Haec sunt, quae de vita Antipatri Sidonii comperta habemus: supersunt pauca ad ea, quae viri docti de eadem scripserunt, annotanda. Cum Tarsensi et Tyrio, quorum ille antiquior, hic recentior fuit, Sidonius a multis commixtus est, v. c. a Stanleio hist. of phil. p. 655, a Graev. ad Cic. off. II, 24. Vossius de nat. log. c. 8 § 18 Sidonium et Tarsensem eundem habuisse videtur, dum illum Diogenis Babylonii discipulum fuisse asserit: de vet. poet. temp. p. 68: „Ol. CLXIX, 2, quo Coss. fuere Marius et Catulus, inquit, claruit Ant. Sid.“: videmus, eum illo anno non amplius vixisse videri, certe aliquanto prius claruisse: de hist. gr. Sidonium et Tarsensem idem Vossius distinguit et simul confundit, Tarsensem Ol. CLXIX vixisse dicens: sed Panaetii doctor vitam ad Ciceronis aevum producere non potuit: ad Sidonium igitur illa temporis nota pertinet. Helfrecht ad Valer. Max. Sidonium commiscet cum Tyrio eumque Athenis mortuum esse ait. Jonsius de scr. hist. phil. recte hos Antipatros distinxit suis temporibus additos: recte etiam Boivinus

affirmat, Ant. Sid. Sullae Mariique temporibus vixisse. Fabric. bibl. Gr. IV, p. 462: „Ant. Sid. paullo ante Ciceronem clarus, quo tempore bellum cum Mithridate gerebant Romani." Eo tempore iam decesserat. Reiskius in not. poet. ab Ol. CLVI usque ad Ol. CLXXI floruisse eum dicit. Rectius dixisset: „ab Ol. CL usque ad CLXVI."

Ut igitur paucis comprehendamus, Antipater Sidone vel Tyri satis nobili loco circa Ol. CL natus est; Poeta epigrammaticus fuit et facilitate extemporali praecellens, Stoicus et rhetor fuisse et in Graecia etiam vixisse ibique Q. Lutatium Catulum et L. Licinium Crassum cognovisse videtur. Die quoque natali suo febre corripiebatur et ea consumtus est longaevus ante annum centesimum a. Chr., ex alia sententia potando interiit.

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE CARMINUM.

Postquam in vitam poetae inquisivimus, carmina eius contemplemur. Quod ut recte fiat, a rebus singulis ad universas progrediendum est, i. e. prius singula carmina, quod ad emendationem attinet et ad interpretationem, perlustrata esse debent, quam de poeta in universum aliquid statui possit. Illam autem rem Jacobsius in Anim. ad Anth. Gr., in Comm. crit. ad Anth. Pal. et in Not. ad Del. Epp. optime tractavit: quum vero meum non sit, eius operam in hoc opusculum transferre, sed, si quid egomet contulisse mihi videar ad Antipatros, ostendere, tantum ea locum hic habere possunt, in quibus ipse viam mihi patefacere, quam Jacobsii vestigia sequi malim. His ea adiungam, quae post Cl. Ed. a viris doctis excogitata esse rescivi. Quorum pars, quippe quae aptissime capp. IV et V inseratur, his addetur: partem secundum ordinem epp. in cod. Pal. nunc exponam.

VI, 111. V. 4. Jac. in Del. Epp.: „οὐριάχῳ h. l., ut videtur, pro αἰχμῇ simpliciter.“ Οὐριαχός, extrema pars alicuius rei, vulgo imam hastilis partem ferro praefixam significat: ferae autem quum non ima, sed summa venabuli parte percutiantur, οὐριαχός h. l. extremam partem simpliciter significare videtur. Ad v. 5 Jac. in Del. Epp. conferri iubet Boeckh. ad Pind. Ol. III, 26 p. 139. Cuius iudicio, poetae, ubi cervis cornua tribuerint, partim rerum imperitia id fecisse, partim ut novitate rei carmini gratiam conciliarent, censor III Del. Epp. Welckeri sententiam in: Das akademische Kunstmuseum zu Bonn p. 40 praefert, usui tribuendum esse, qui in hoc animali genus femininum fecerit potius. Cf. etiam A. P. V, 19, 6. Sic constanter Attici, ubi sexus non respicitur, feminino utuntur: Ant. Thess. XI, 327, 2 versus necessitate, ut videtur, coactus masculinum praebet. V. 6. A. P. σπασάμενος: rectius in D. E.: σπασσάμενος. Cf. Add. ad A. P. p. XLI.

VI, 160. V. 4 A. P. ἀρπεδόνας. Scribe: ἀρπεδόνας.

VI, 174. V. 1. Ferri etiam possit, quod Grotius secundum Anth. Bosch. T. V Add. p. 246 scribit, Ἀράχνα, ut referatur ad Arachnen Lydiam, lanificio celeberrimam, de qua videndus est Ovid. Metam. VI, 5 sqq.

VI, 209. V. 3 ἀντιμερίζου. Hoc vocabulum Passovii lexico addendum est.

VI, 276. In hoc ep. cod. Pal. tantas turbas facit, ut fere quisque versus correctione indigeat. Ad integritatem igitur magna cum probabilitate restitui posse diffido, praesertim quum ne de argumento quidem satis constet. Quod Jacobsius ita indicat; „Hippe, Lycomedis filia, viro nuptura, Dianae comam suam dicat, precibus de futuro matrimonio additis.“ Quibus pro veris habitis videamus de singulis. V. 1 ἀνεδήσατο ineptum; notionem desecandi requirimus. Inde consequitur, ἀνεθήκατο, Dorvill. coniecturam a Brunck. receptam, probari non posse, quoniam sic nihil de capillorum sectione comperimus. Contra notionem dedicandi facillime supplere non solum possumus, verum etiam cogimur, siquidem fingimus, nos in templo Dianae hoc ep. legere comas illas adspicientes. Ἀπεδύσατο in Anim., ἀπαμήσατο in Add. ad Anim. et

ἠμήσατο in Comm. crit. a Jacobsio proposita sunt. Propius etiam ad membranas accederet ἀμήσατο. V. 2 praesentis participium ferri nequit: Hippe enim non inter unctionem, sed post eam comas desecuit: σμη-ξαμένα itaque scribendum est. V. 3 τοι Reiskius commutavit cum οἱ: recte, nam personae significatione carere non possumus, τοι fortasse a librario rei metricae imperito, qui γάρ etiam ante vocalem produci posse non intelligebat, profectum est. Quales sunt αἱ ἐπὶ κούρῃ μίτραι (Jac.: fortasse κουρῇ scribendum)? Num mitrae, quae conveniunt virgini, an mitrae post virginitatem? Αἰτέομεν plane absurdum est. Brunck.: αἰνέομεν. Mitrae virginis, cuius olim fuimus, amabilitatem et gratiam laudamus. Non puto, multis hoc esse satisfacturum. Mitrae autem novae nuptae, quae non dedicatae sunt, verba facere non possunt. Litterarum vestigia anxie prementi nihil mihi aptum in mentem venit: quare aliquid excogitavi a scriptura codicis haud magnopere commendatum, sententiam tamen aptam efficiens. Num fuit olim: αἱ δ' ἐπὶ κούρῃ μίτραι παρθενίας αἱρέαται χάριτος? Mitrae novae nuptae praepositae sunt gratiae virgineae, i. e. Hippe rem uxoriam anteponendam esse duxit virginitati. V. 6. Vocem φιλοστράγαλη (sic corrector, librarius probabiliter φιλαστραγάλη: cf. Paulss. suppl.) Jac. coniecturis tentavit. Quamquam mihi quoque non satis placet, talorum amorem commemorari in virgine nuptiis cum maxime initianda, puto, poetam de industria hoc epitheton posuisse. — At profecto hoc pacto agentibus nobis summopere timendum est, ne ex Antipatrico carmine nostrum faciamus. Fortasse a Constantino et Jacobsio perperam ad ἀναθηματικά relatum est hoc ep., quo duntaxat fabula de Hippe narratur ad nuptias sese accingente ideoque inter unguendam (σμηχομένα) crines spissos (οὔλας χαίτας) religante (ἀνεδήσατο). Fortasse pro ἡ v. 1 ᾗ scribendum est et statuendum, v. 1 et 2 carminis excidisse, in quibus de virginea mitra dictum fuerit, quae antea comis in nodum colligendis inserviens nunc Dianae dedicetur cuique αἱ δ' ἐπὶ κούρῃ μίτραι opponantur.

VI. 287. V. 7. Cod. ἰσοπάλαστον. Jac. A. P. ἰσοπάλαιστον. Mihi cod. scriptura non repudianda vide-

tur: Attici enim pro παλαιστή dixerunt παλαστή; vid. Lob. ad Phryn. p. 295.

VI, 291. V. 3. Jac. in Comm. ad A. P. „διὰ κῦμα P. 1. 2. et vett. edd. Suid. in ἀβρόμιος, διάκαυμα Pl. διὰ καῦμα Br. probabiliter. In hoc tamen poeta, qui certe non est Sidonius, κῦμα πυρός ferri posse existimabam.“ Censor H. D. E.: „Est ita, ut dicit Jac. κῦμα usurpatur de omni malorum genere. Nescio tamen, an hic de impetu vehementissimae febris non melius sit καῦμα“. Καῦμα, postquam Passovius hoc carmen Sid. esse ostendit, ab ipso Jac. probari puto.

VII, 6. Homeri munera enumerantur. Ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς per se planum: praeconem virtutis heroum. Μακάρων δὲ προφήταν Deorum, Musarum imprimis interpretem explicat Jac. in D. E. Reputanti mihi, v. 3 Homeri relationem ad Musas adumbratam esse, his verbis deos superos puto designari, quorum naturam et voluntatem poeta interpretatus sit. Ἑλλάνων βιοτῇ δεύτερον ἀέλιον, qui vitam Graecorum, praecipue gloriam eorum bello Troiano partam Musarum lumine, i. e. carminibus illustravit. Μουσῶν φέγγος, cui Musae lumen suum condonarunt, quod deinde ad deas ipsas celebrandas a poeta diffusum est. Ἀγήραντον στόμα κόσμου παντός — στόμα, caussa pro effectu, vocem orbi terrarum nunquam senescentem, i. e. cuius vox semper per orbem terrarum resonabit. Ἁλιῤῥοθίαν κόνιν κεκευθυῖαν Ὅμηρον habitam esse ab Antipatro insulam Ἴον, docet ep. VII, 2.

VII, 14. V. 5. Musae Sappho, quam optimis donis, carminibus immortalibus, exornarent, non indignam habuerunt: quidni vos, Parcae, earum exemplum secutae estis, (ἄφθιτα μνησάμεναι δῶρ' Ἑλικωνιάδων memores sempiternorum Musarum donorum), et, quod penes vos est, filum vati aeternum duxistis? Ita, ut in parenthesi dixi, versum ultimum explicandum et a correctione esse abstinendum censeo. A ante μν correptum neminem offendat, qui, quantam in his rebus Antipater Sidonius sibi sumserit licentiam, noverit. Cf. VII, 81. 3, ubi in Μιτυλᾶνα ultima syllaba brevis, VII, 218. 10 et 745. 4, ubi brevis syllaba in incisione pentametri, VII, 426. 3, ubi Τελευτίας trisyllabum est. Hephaestio autem p. 5, (14 sq. Gaisf.) ὅτι ἡ διὰ τοῦ

μν σύνταξις ἐποίησέ που καὶ βραχεῖαν, dicit. Cf. Erfurdt. ad Soph. Aiac. v. 619 seqq. Etiam Dorvill. in vann. crit. p. 644 codicis scripturae patrocinatur, ι tamen subscribi iubet, μνησαμένᾳ hunc in modum interpretans: „quae aeterna Musarum munera celebravit. Δῶρα Μουσῶν nihil aliud significant, quam facultatem poeticam, poetice: carmina. Sappho Musarum dona, suavitatem et potentiam poetices ubique celebriorem reddidit, id est, carmina non intermoritura canit.“ Ast, ubinam μνᾶσθαι significat: „celebrare, celebriorem reddere?“ Fac autem, ut Δ. Ε sint facultas poetica, ἄφθιτα non omnino in eam cadit. Νησαμένᾳ Brunck. cum nonnullis apographis. De quo sic Dorv.: „vulgo νησαμένᾳ, quod forte quis deducat ἀπὸ τοῦ νῆσαι· σωρεῦσαι· νησαμένᾳ δῶρα ἄφθιτα, quae sibi non fragiles, sed aeternas Musarum opes, carmina congesserat et coacervarat, digna erat aeternum vivere. Apud Hesych. ἀπονησαμένη, ἀποσωρεύσασα.“ Parum festivum hoc σωρεῦσαι esse, aures vel parvulum tritae percipient. Jac. νήθεσθαι ἀοιδάς dictum putat, ut carmina deducere apud Latinos et hac dictione elegantem oriri et acutam antithesin: quam tamen in Comm. crit. argutiorem habet quam elegantiorem et cum Reisk. μησαμένᾳ ex apogr. Lips. amplectitur. Μήδεσθαι de artifice operi suo intento dici (Ant. Sid. VI, 287. 5), non ignoro, sed ob id ipsum paululum incommodum esse videtur. Δ. Ε. sunt sane carmina, sed quatenus a Musis profecta et inspirata cogitantur: dona vero accipi quidem possunt, non perinde filo deduci (νήθεσθαι) vel excogitari (μήδεσθαι): quod qui de poeta praedicat, ipsum, non Musas, auctorem facit carminum.

VII, 30. V. 3. Οἱ λυρόεν τι, quod Huet. pro cod. scriptura insana οἱ λυρόθεν posuit, si cuipiam frigidiusculum videatur, ei οἱ λυρόεντα propono. Quod, postquam mihi in mentem venit, una cum πυρόεντα, μυρόεντα et λυρίεν ἑλελίζεται ad cod. Leid. marg. adscriptum esse, in Bosch. Anth. legi. Ceterum ἵμερος Adiectivum (Steph. Thesaur. ed. Lond. p. 11090. A. Ant. Thess. IX, 266. 1.) lexico Passovii per me addas.

VII, 81. In D. E. IV, 92 scribas Μιτυλᾶνα pro Μιτυλάνα. Sic scribendum esse, Jac. ipse in Add. ad LI monuit.

VII, 147. V. 2 Θυμοβαρὴς Ἀρετά. Passov. in lex.: herzbelastend. Nostro certe loco, quo solo reperitur, est: herzbelastet. Steph. Thess.: animum gravatum habens, animo dolens.

VII, 161. Lemma: εἰς ἀριστομένην, οὗτινος ἐπὶ τῷ (τάφω Jac., quod in cod. desiderari Paulssen. docuit) ἵστατο αἰετός. Fortasse τῷ compendium est vocis τάφῳ. V. 3 ὅθ' οὕνεκεν in A. P. ὁθοὕνεκεν in D. E. ὁθούνεκεν Weichert. in Anth. Gr. Hoc propterea probo, quod hoc vocabulum ex ὅτου et ἕνεκεν ita in unum confusum est, ut quodvis aliud compositum, coronis autem lectorem, ut de separatis verbis cogitet, admonet. Passov. in lex. et in Jahn. annal. 1828, I p. 47 de scriptura continua cum Weicherto et Matthiaeo ad Eur. Alc. 813 consentit, coronidem tamen servari vult. Idem vir doctissimus, hoc verbum non facile nisi apud tragicos repertum iri dicit: ecce locum in carmine elegiaco aliumque in bucolico apud Theocr. Id. XXV, 76. V. 4. ἠϊθέων. Aut Antipater putasse videtur, Aristomenem, quae praeclare gesserit, innuptum gessisse, contradicentibus rerum scriptoribus, aut statuendum est, poetam vocabulo ἠΐθεος significationem insolitam: „vir iuvenis, nulla matrimonii ratione habita" tribuisse.

VII, 241. In D. E. VIII, 19. 1 Jac. verius, ut videtur, quam in A. P. ἔπι scripsit et post hanc demum vocem distinxit oratinem. In not. crit. ad D. E. in scriptura Analectorum pro ἐπὶ scribas ἔτι.

VII, 423. V. 5. τοιάνδε σταλουργὸς ὅδ' ἔκρυφε Βιττίδα τύμβος
τιμελάχραντον νυμφιδίαν ἄλοχον.

Verba corrupta. Varias virorum doctorum coniecturas vide apud Jac. Cuius emendatio in Comm. crit. proposita (cf. etiam Add.), ut sententiam bellam efficiat, a membranis nimis discrepat. Liceat igitur meum lenius, ut arbitror, medicamentum monstrare:

τοιάνδε σταλουργοῦ ὅδ' ἔκρυφε Βιττίδα τύμβος
Τιμόλα ἄχραντον νυμφιδίαν ἄλοχον.

Talem Bittidem hic tumulus condidit, sculptoris Timolai castam coniugem. Quibus cum verbis ultimi versus bene coeunt tertia, quam Jac. in Anim. indicavit, ratione explicati. Τιμόλαος nomen est Corinthii in

Xen. Hellen. III, 5. Dorienses terminationem *λαος* in *λας* contraxisse constat. *Τιμόλας* legitur apud Demosth. pro corona p. 241 ed. Beck., *Ἀρκεσίλας* in App. epp. n. 75, 4.

VII, 424. V. 1: *Μαστεύω τίς εὐαγὴς ἐπὶ σταλήτιδι πέτρῃ*
Λυσιδίκα, γλυπτὸν τόνδ᾽ ἐχάραξε νέον.

Verba *τίς εὐαγὴς* inepta sunt. Emendationes virorum doctorum merito Jac. repulit, ipse duas proposuit, in Anim. alteram, alteram in Comm. crit. Aliam ad suspicionem ego adductus sum. Fortasse in *αγης* latet nomen proprium, et legendum est aut *τί σευ Ἆπις* aut *τί σευ Ἆγις*. *ΑΓΗ* et *ΑΠΙ* et *ΑΓΙ* simillima sunt. Nomina vero illa in Anthologia usitata sunt: cf. V, 161. 3 et XI, 80. 2. *Ἆγις* iam propositum esse ab H. de Bosch. V. V p. 212. postea comperi.

VII, 427. Vocabula *Ἀλέξανδρος* et *Ἔφηβος* etiam iactus in alea certos significare, non dixit Passov. in lexico. V. 10 post *ἰόν*, non post *ἐλάσσειν* interpungi voluisse in A. P. Jac., D. E. demonstrat.

VII, 745. V. 1. *Ἴβυκε, λῃϊσταί σε κατέκτανον ἔκ ποτε νήσου*
βάντ᾽ ἐς ἐρημαίην ἄστιβον ἠϊόνα.

Peerlkamp. in censura D. E.: „si talem verborum ordinem instituamus: *σε ἐκβάντα ποτὲ ἐς ἠϊόνα νήσου*, fortasse non opus est mutatione. Jac. volebat pro *νήσου νηός*." Sane sic verba iungenda esse videntur et cogitandum de poeta, a piratis in littore deserto insulae fortasse anonymae, in quod escenderat, interfecto. Neque aliter, si *νήσου* sincerum sit, Jac. in Anim. haec verba interpretatus erat. In D. E. vertens: „ex insula nescio qua in littus quoddam desertum delatus" verba aliter coniunxit, ita ut insulae commemoratio „prorsus inutilis" appareat, et coniectura *νηός* paene necessaria.

V. 3. *αἵ τοι ἵκοντο*
μάρτυρες ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον.

Brevi syllaba in caesura pentametri offensi viri docti varie eum correxerunt. Passovius in not. mst. *ἀλγίστους θανάτους*. At *θάνατος*, ubicunque reperitur, vel cum substantivo numeri pluralis iungitur vel de mortis generibus intelligendum est. Iccirco improbabilis est etiam haec viri docti in Ephem. Lips. a. 1816

p. 1999 emendatio: ἀλγίστων θανάτων. Nimis violentae sunt mutationes a Friedemanno de med. syll. pent. p. 302 et a Cens. D. E. in Diar. schol. oblatae: ἀλγινόεντ' et ἄλγιστον θάνατον μάρτυρες ὀλλυμένῳ. Restat alia emendandi via: ἀλγίστου — θανάτου: hiatus tamen non magis ferendus esse videtur, quam syllaba brevis. Quare comparato hoc loco cum VII, 218. 10 ἄλγιστον poetae quam librario tribuere malim.

IX, 724. In Anim. T. I P. I p. 186, ubi hoc ep. laudatur, temere δ' post πλάττεις insertum invenies.

XVII, 5. Zeno v. 2 οὐκ Ὄσσῃ Πήλιον ἀνθέμενος, οὐδὲ τάγ' Ἡρακλῆος ἀέθλια ad Olympum properavit. Sic verba sonant apud Diog. Laert. Toupii coniecturam ἀέθλεε Brunck. et Jac. probaverunt. Fortasse ἀέθλια ferri possit. Ἀέθλιον, vulgo praemium certaminis, nonnunquam certamen ipsum significat: v. Od. XXIV, 168. Ἀνατίθεσθαι est: aliquid sibi imponere, suscipere, ferre et aliquid sua gratia imponere. Ἀνθέμενος non minus ad ἀέθλια quam ad Πήλιον pertinet et v. 2 hanc, v. 3 illam significationem habet. Sin v. 3 ἑαυτῷ subaudire velis, dicas, ἀνθέμενος utroque versu valere: qui sua gratia imposuit. Latine autem ita verba Graeca reddo: qui neque Ossae Pelium, neque sibi Herculis certamina imposuit.

CAPUT IV.

DE CARMINUM ARGUMENTO ET INDOLE POETICA.

A definitione et historia epigrammatis in hoc capite exordiendum est. Quibus cognitis ad carmina Antipatri Sidonii transibimus, et, quae argumenta quibus modis tractaverit, videbimus, ut hinc locum ei inter epigrammaticos Graecorum poetas assignare possimus, et ut rectissimum de eius indole poetica fiat iudicium. Quod ad definitionem epigrammatis attinet, si a poetis nostratibus profecti hodiernam formam pro

vera et unica haberemus eaque quasi norma usi ad Anthologiam Graecam accederemus, magnis in quavis pagina difficultatibus implicaremur: longe enim plurima carmina exspectationi nostrae non occurrerent. Inde liquet, epigramma, cuius sicuti omnium fere poesis generum Graeci auctores et exemplaria fuerunt, historiam quandam habuisse et temporum decursu esse mutatum: nos igitur, qui de epigrammatis Graecis disserere velimus, ex ipsius Anthologiae carminum contemplatione notionem eius fingere debere. Quo facto transitus ad hodiernam formam non poterit non esse patefactus. Aliud negotium, cuius necessitas primo oculorum obtutu apparet, distributio epigrammatum est in genera quaedam. Qua in re si rationem, quam diversi Anthologiarum conditores secuti sunt, respicimus, non magnopere adiuvamur. Ordo, quem apud Meleagrum et Philippum animadvertimus, revera nullus est. Agathias cyclum suum, ut e prooemio planum est, sic descripsit:- ἀναθηματικά, regionum, statuarum, tabularum aliorumque artis operum descriptiones, sepulcralia, carmina in varios vitae humanae casus, satirica, amatoria, ea, quae ad vitae fructum et laetitiam exhortantur. Non unum, sed duo sunt divisionis fundamenta, quae dicuntur: modo res, cui ep. inscribitur, ut in I, II, III, IV, VI genere, singula carmina segregat, modo ratio, qua res a poeta tractata est, ut in V genere. Itaque idem carmen eodem iure et ad hoc et ad illud genus pertinet. Nonne ep. sepulcrale simul satiricum esse potest? Nonne idem statuae descriptionem continere? Neque omnia epp. in his locis collocari possunt. Ep. in poetam vel alium virum excellentem, quod sepulcrale cogitari nequeat, quo pertinet? Similia vitia Cephalae et Planudis partitiones habent. Quam late classis τῶν ἐπιδεικτικῶν patet, quamque apta est ad omnia ea recipienda, quae alio non quadrant! Secundum res, quibus epp. inscripta sunt, Jacobsius ea ordinavit in D. E. et in Vit. et art. vett. p. I. Quae omnes divisiones a rebus externis petitae sunt naturamque ep. plerumque non tangunt. Videndum ergo, ut historia ep. per omnia tempora perlustrata partitionis viam ostendat.

De natura et indole ep. Graeci, ut antecessores

his cum ingenii acumine et sagacitate, tum tenero pulcri venustique sensu multo sequiores conticeam[14]), duo inprimis viri, uterque decus ac lumen populi Germanici, praeclare egerunt, Lessingius et Herderus. Recentiores enim historiae litterariae auctores, quos adii, breviter tantum in ep. versati sunt atque nihil fere novi et quod Herderi placita funditus everteret, attulerunt. G. E. Lessingius egit de ep. in: Zerstreute Anmerkungen über das Epigramm und Einige der vornehmsten Epigrammatisten[15]). J. G. Herderus Anmerkungen über die Anthologie der Griechen, besonders über das griechische Epigramm[16]) edidit, ibique etiam, qua parte sententiae Lessingianae laborarent, indicavit. Huius viri disputatio admodum probabilis esse mihi videtur: quocirca statim ad ipsam ep. naturam breviter exponendam transeo, unde, quid huic debeam et si quid mihi ipsi, comparanti facile patebit.

Quodsi significationem vocabuli ἐπίγραμμα, Zuschrift, teneamus et causas, quae homines ad huiusmodi inscriptiones edendas impulerint, in nulla alia re, quam in sui ipsorum cogitationes illustrandi et ampliandi studio easque cum aliis communicandi investigare potuerimus, ad praecursoriam poesis, quae epigrammatica vocatur, definitionem iam notas singulas habemus, ad hanc scilicet: epigramma est expositio imaginis vel sensus de quadam re, quae contemplantis animum cepit et qua exposita aliorum quoque animi capiantur vult. Ac profecto si qui populus et res et occasiones et illam iucundam loquacitatem et sensus humanitatem, quae ad epigramma opus sunt, habuit, Graeci habuerunt, omnium Musarum amatores. Huc coelum serenum, reipublicae liberae instituta, mytho-

14) Vid. Opp. Herderi Tom. X (Tubing. 1808) p. 169.
15) Lessings vermischte Schriften. Th. 1. Berlin 1771 p. 93 sqq.
16) J. G. Herders sämmtliche Werke. Zehnter Theil. Tübingen. 1808. p. 143–214. Cuius viri studia sibi arrogavit Ed. Romeo di Vargas: Del epigramma greco, saggio. Siena 1796. 12. Qui liber in patrium sermonem conversus est a F. H. Bothio Berol. 1798. 8. Herderum Vargas tam anxie secutus est, ut vel exemplis fere iisdem utatur: quorum tamen numerum eleganter expositorum largis manibus adauxit.

logia pulcra et flexibilis, quae omnia exornabat, pertinent. Loquacitas illa amabilis quantopere linguae Graecae numero et mollitie, pulcra hexametri et pentametri coniunctione, haud dissimili coronae et cuique argumento apta, sublevata est! — Epigramma vero usque ad incunabula persequentes mere historicum esse videmus: inscriptiones, quibus Graeci domos, templa, arma, vasa, supellectilia ornabant, nihil indicarunt nisi quis, ut templo utar, hoc condidisset, cui deo et cur id consecrasset. Huiusmodi inscriptiones, quae Herderus, ut distinguantur ab epigrammatis, ἐπιγραφαὶ nominentur mavult, quamquam simplicissimae, tamen poesis epigrammaticae origo erant. Non enim fieri potuit, quin una cum numero poetico inscriptio relationem quandam auctoris ad rem et sensum quendam humanum adscisceret itaque poematis nomen sibi sumeret. Haec prima epigrammatum forma, quae historicam, ut Herderi verbis utar, expositionem continet, in carminibus, quae dona deorum comitabantur, et sepulcralibus haud paucis usque ad posteriora tempora conservata est. Ad hoc genus etiam fabellae memoratu dignae pertinent, carmina in varios hominum casus, in homines praeclaros, si tantum res, quibus excelluere, narrantur. In his omnibus res ipsa per se loquitur et poeta lectori permittit, ut nuda re audita eo sensu, quo ipse perfusus sit, commoveatur. — Attamen quum non omnes res ita comparatae sint, facile aliud genus extitit, dum poeta lectori, quid eum narratione docere, quos sensus in eo excitare voluerit, dicebat. Multo minus leporis hoc genus habet quam primum, quia animus divinanda poetae sententia delectari non potest, et quia epigramma in duas partes, expositionem et clausulam, dilabi itaque fabulae cum praecepto utili simile fieri periclitatur. Quare poetae ad varia confugerunt epigrammati vel huiusmodi speciem quandam unitatis asservaturi. — Iam vero tertium genus id est, quo poeta locum, ubi expositio et clausula conveniant, invenit inventumque repraesentat, vel, ut aliter dicam, singula lineamenta ad unam imaginem coniungit, vel rem totam quasi uno ictu penetrat, uno radio collustrat. Pulcherrima epp. eiusmodi reperies, quae in partes dividuntur facillime, ut epp. in artis

opera, in quibus poeta mentem artificis, qui unum affectus vel actionis, quo maxime cernitur, momentum effingere elaboravit, interpretari studet, dum singula artificii lineamenta ita depingit, ut omnia in illo momento concurrant. Hinc epp. prodierunt, quae laudem artificii in unum acumen coarctant. Simili modo ep. incedere potest, si ab artis operibus ad naturam transeat, epp. dico in regiones amoenas: simili modo etiam in amatoriis, in laude virorum excellentium, in elegiacis plerumque ad dolorem de mortuis significandum factis. — Restat quartum genus, tertio etiam artificiosius, quo vel duae res a poeta coniunguntur, sive sunt eae vere diversae ac separatae et a poeta tantum consociatae, sive est una res, in qua novum quid itaque duplum apparet, vel usque ad finem carminis illudimur et saepe ultimo demum verbo rei natura detegitur, vel cogitationes duae se quasi tangunt sive cito inopinatoque concurrunt, ita ut acumen, Witz, pointe, evadat. — Sic a simplicissima forma, quam apud antiquissimos poetas poetriasque, Sappho, Erinnam, Myro, Nossidem, Anyten, Anacreontem, Simonidem aliosque deprehendimus, ad artificiosissimam pervenimus, cuius exempla inprimis poetae aevi Alexandrini et his etiam inferiores sunt, ut Lucillius, Nicarchus, Lucianus, quam Martialis, Romanorum facile princeps in hoc genere, solam adoptavit et excoluit, quaeque etiam apud nos sola epigrammatis nomine insignitur. Iam epigramma Graecum accuratius definire licet: epigramma rem praesentem, ut certum quid doceat vel sensum certum moveat, vel exponit vel interpretatur vel in unum punctum contrahit vel convertit. Nec non virtutes praecipuae, quae epigrammati necessariae sunt, inde derivari possunt: sunt enim unitas, praesentia, i. e. res ita describatur, ut oculis inspicere nobis videamur, acumen, i. e. punctum, quo singulae res concurrunt. Quas virtutes si tenemus et ubique requirimus, non difficile erit iudicatu, utrum carmen aliquod epigramma sit an elegia, fabula, satira.

Iam ad Antipatrum Sidonium orationem reflectimus eiusque carmina singulis generibus adscribere conabimur. Genus I. Carmina, quae dicuntur ἀναθηματικά, haud pauca scripsisse videtur Antipater Sido-

nius, quum nobis etiam plura praesto sint. Quorum in aliis nihil fit, praeterquam quod narratur, quid cui aliquis offerat. A. P. VI, 109 Craubis Pani venationis, aucupii et piscatus instrumenta, VI, 111 Lycormas Dianae exuvias et cornua cervi, VI, 159, expressum e Tymnae ep. VI, 151, Pherenicus Minervae tubam, VI, 160, expressum, ut videtur, e Leonidae Tarentini VI, 288, Telesilla eidem artis textoriae instrumenta, VI, 206 quinque Aristotelis filiae Veneri Uraniae varia vestimenta, VI, 287, expressum e Leon. Tar. VI, 286, tres puellae Dianae institam, communi opera elaboratam, dedicant. Neque tamen in his semper cum simplicitate argumenti dictio congruit, sed in nonnullis Antipater poesis defectum verborum exquisitorum et sesquipedalium ornatu compensare studet. Exemplo esto VI, 160, quod carmen Philippus Thessalonicensis VI, 247 imitans Antipatrum adeo superavit. Conferas etiam VI, 206 cum VI, 207 Archiae imitatoris. Sandalia τὰ ποδῶν θαλπτήρια Antipater vocat, Archias simpliciter nominat. Suavius tamen φιλοπλέκτοιο Antipatri est, quam πολύπλαγκτον Archiae. Flabellum ille nudum nominat, hic mirifice exornat. Contorte Antipater talorum vincula significat, tersius et rotundius Archias. In quatuor carminibus ratio simul redditur, qua impulsus aliquis donarium diis obtulerit: VI, 14 tres fratres, venator, auceps, piscator Pani dona ferunt artis suae instrumenta propterea, quod venationi nunquam non felicem eventum dederat. Hoc argumentum Anthologiae poetae usque ad fastidium repetiverunt, quos videas deinceps enumeratos in Anth. Plan. l. VI c. 15. Sunt quoque, qui ter quaterve hoc argumentum tractarent. Neque Antipater ab hoc more, quem Cicero in laude Archiae ponit, quod eandem rem aliquoties mutatis verbis ac sententiis dicere solitus sit, abhorruit: secundum enim carmen, in quo simul causa donationis indicatur, VI, 46 in eandem rem scriptum est atque VI, 159. Pherenicus tubam Minervae ponit, quoniam bellis et pompis interesse desiit. Tertium est VI, 47 Bitto, mulier fere quadragenaria, ex Minervae castris propter animum ad amorem intentum ad Venerem transiens illi deae radium textorium dicat. Quo in carmine valde dubites, num poeta, ut in ceteris huius

generis epp., nihil nisi interpretem illius feminae agere voluerit, an mulierum iam ad senium inclinantium intempestivam libidinem eludere. Quartum est VI, 174 expressum ab Archia VI, 39. Tres puellae Palladi lanificii instrumenta offerunt: lanificio enim operam dederunt, quia quaeque earum manibus victum quaerens sine omni probro vitam degere volebat. In ep. VI, 118 ad historicam, quam dicimus, expositionem preces adduntur. Sosis sagittarius Apollini arcum, Phila citharoeda testudinem, Polycrates venator retia dedicant, atque poeta precatur, ut unusquisque, quod in arte sua exoptatissimum sibi sit, consequatur. Ep. VI, 276 argumentum ob codicis depravationem non apertum esse, iam diximus: sin ἀναθηματικόν sit, dicendum est, poetam expositioni adiecisse et causam donationis et preces pro salute donantis. — Ab ἀναθηματικοῖς transferimus nos ad ἐπιτύμβια, quae mere historica sunt. Ex hoc genere est VII, 246. Persae ad Issum interfecti similiter atque illi Lacedaemonii in clarissimo Simonidis carmine VII, 249

Ὦ ξεῖν', ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις, ὅτι τῇδε
κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

simplici, sed tamen maxime ad animum lectoris commovendum facta ratione narrant, se hic iacere

ἔργον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος, οἵ ποτ' ἄνακτι
Δαρείῳ πυμάτην οἶμον ἐφεσπόμεθα.

Tum VII, 164 in Prexo, expressum e Leon. Tar. VII, 163. Poeta colloquio utitur, viatorem enim e mortua vitae rationem explorantem facit et in fine laeta apprecantem. Quod ep. quamvis dialogi forma maxime epp. secundi et quarti generis propria sit, quum tantum res externae exponantur, recte huic addidisse mihi videor.

Genus II. Ep. VII, 498. Postquam poeta sortem Damidis nautae, qui onere et vectoribus in portum servatis nive crebro cadente perierat, narravit, animum nostrum ad id adtendit, quod maxime memorabile in fabula est, his verbis: ille aliis in portum iucundum deductis ipse Lethes portum intravit. VII, 303. Cleodemi infantis, quem aquilo de navi in mare deiecerat, mortem luget poeta, Inonem simul, quam in Leucotheam conversam nautae implorabant, quia puero

Melicertae, sui filii, a Nereidibus servati immemor opem non tulisset, crudelitatis incusans. Observes tamen, qua re hoc carmen ab antecedente differat. Ibi simpliciter narratiunculae sententiam declaravit, hic fabula quadam in auxilium vocata lectori locum, a quo narratiunculam inspici vult, assignat. VII, 745. Nota de Ibyci poetae morte narratione lector commonetur, poetas singulari deorum tutela gaudere et Furias necis iis illatae nunquam non, quum Aegisthus quoque similia atque Ibyci interfectores passus sit, ultionem petivisse. Quam bene poeta maiorem orationi calorem additurus allocutionibus utitur Ibyci et latronum! VII, 8. Orphei, cuius vis poetica v. 1—4 potestate, quam in arbores, saxa, feras, tempestates, mare exercuerit, describitur, mors permultum lucti a matre Calliopa et materteris Musis poetam ad sententiam Simonideae in mel. fragm. n. I A. L. haud dissimilem adducit, quum vel dii mortem a liberis propulsare non valeant, nobis de nostris non esse gemendum. Etiam hoc ep. ab antecedentibus discrepat quodammodo. Primi enim quatuor versus descriptio sunt poesis Orphicae, laus Orphei nec minus querimonia de morte: quamobrem haec pars ad sequens magis quam ad hoc genus pertinere videtur. Nihilominus totum carmen, quod praecepto quodam finitur, secundo generi addendum erat. Codex Palatinus ultimum et penultimum carmen sepulcralibus adscripta monstrat: cuiusmodi quum non videantur esse, Jac. in D. E. cap. IV in poetas quam VIII adiicere maluit. — Iam dixi, poetas studuisse, ut vel his epp. unitatem quandam conciliarent. Neque Antipater hoc neglexit, sed varia remedia carminis in duas partes discessuri adhibuit. Partim enim rem ipsam loquentem introducit et per se lectorem vel docentem vel commoventem. VII, 423 et 425. Bittis et Myro figuras, quae cippis ipsarum sunt insculptae, explicant viatori. VII, 172. Alcimenes auceps, quem, dum avibus struit insidias, vipera occiderat, e morte sua documentum capit, cui simile nostratibus in proverbio est. VII, 2. Homeri laus ab insula Io celebratur, quae in fine viatorem, ne miretur, admonet, quod ipsa tantula tantum virum occulat, quum etiam Peleus in Ico sepultus sit, vel, ut aliis verbis dicam, quum haec sit sors hu-

mana. Poeta nos, quibus miram rerum contrariarum coniunctionem ante oculos ponit, commovere simulque docere vult, mortem minime curare, homines ignobiles sint an nobiles, quippe quibus vel sepulcrum nobile conveniat, sed eos, ubicunque placuerit, et saepissime, ubi minime exspectaverint, aggredi solere. Ceterum in hoc ep. Antipater respexisse videtur Alcaeum Messenium VII, 1. Huc etiam referendum est X, 2. Antipater, quum *solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni*, nautas verbis Priapi, cuius statua in littore maris posita erat, adhortatur, ut *trahant siccas machinae carinas*. Ergo Priapus ille poetae aliquid docere videtur, quod tamen non suo Marte profert, postquam dei statuam mare verno tempore tranquillum contemplantis ante oculos nostros posuit, sed, ut unitatem ep. conservaret, ab ipso Priapo enuntiari vult. Descriptio veris appropinquantis suavis neminem puto non oblectabit: archetypum est Leon. Tar. X, 1, repetitum a pluribus, quos legas coniunctos in Plan. Steph. p. 75—77. Simili modo in ep. IX, 323 efficto e Leon. Tar. IX, 322 arma splendida et nova Marti dedicata esse videt poeta, quae deo non grata esse suspicatur. Itaque Martem ipsum conquerentem inducit, huiusmodi arma se accepisse: haec enim imbellium virorum cubiculis convenire, non aedi Ἐνυαλίου, sibi arma confracta et caedem virorum placere. Alio adiumento, quo unitati poeta prospexit, usus est in VII, 427. Epp. 423 et 425 ipsae sepultae viatorem de vi signorum in cippis exsculptorum certiorem faciunt, ep. VII, 427 viator loquens inducitur, dum divinando illam vim assequitur. In aliis epp. colloquium poeta finxit. Sic VII, 424 viator e sepulta interpretationem istiusmodi signorum quaerit et haec respondet. VII, 161 aquila Aristomenis Messenii tumulo imposita viatori, de huius sedis caussa interrogata, se praestantem Aristomenis fortitudinem significare ait. VII, 426 leo exploratus, cuius tumulum exornet, se Teleutiae virtutis erga hostes praestitae caussa instare respondet.

Genus III. In hoc genere, quod fere solet pulcherrimum esse, etiam Antipater Sidonius maxime excelluit. Primo de epp. in artis opera compositis dicendum est, quorum duas novimus species. Quae hic

laudabuntur, omnia non ad mentem artificis aperiendam, sed in laudem artificiorum, excepto uno, in quo ambae species mixtae, facta sunt: ep. dico XVI, 178 in Venerem Anadyomenen, Apellis opus. Antipater, cuius verba ad ridiculum detorsit argumentum Lucillius XI, 174, Ausonius in linguam Latinam transtulit ep. CVI, Leon. Tar. XVI, 182 imitatus est. Hunc et Antipatrum expresserunt Archias XVI, 179, Democritus 180, Iulianus Aegyptius 181. Quae carmina inter se, ita ut archetypo praemium decerneret, Ilgen in op. phil. t. II p. I p. 58 sqq. comparavit. Viri sensu venusti satis valentis iudicio subscribo: conferamus enim, quod ad nos maxime pertinet, carmen Antipatricum cum Leonideo. Quanto pulchrius Leonidas τὰν ἐκφυγοῦσαν ματρὸς ἐκ κόλπων ἔτι dicit quam Antipater τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάσσας! Ἀναδύεσθαι ad mare quidem quadrat, non item ad matrem. Deinde illius verba τὰν — Κύπριν ἰδὼν Ἀπελλῆς — οὐ γραπτόν, ἀλλ' ἔμψυχον ἐξεμάξατο nonne magis delectant, quam huius Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος, quibus, dum ibi artifex, quae animo divino instinctu concitato obversantur, facili effingit negotio, eum in opere suo desudantem fingere cogeris? Quam inficete Sidonii συμμάρπτειν (nobis *anpacken*, in Od. IX, 289 et 311 de Cyclope, qui duos Ulyssis socios devoraturus arripit, dictum) sonat! Apelles crinium madidorum expressionem, ne gratiae Veneris officiat, non nimis ad verum pinxisse videtur. Leonidas quidem, qui uno versu εὖ μὲν ἄκραις χερσὶν ἐκθλίβει κόμαν eam significavit, modum servavit, Antipater, in hac re etiam superatus a Democrito et Iuliano Aegyptio, excessit. Profecto hanc expressionem Iuno et Minerva Veneri non invident, sed totius figurae gratiam. Multa praeterea Antipater in Myronis buculam lusit, quod celeberrimum artificium Athenis erat. Apud veteres Myronis nomen fere solum cum hoc mirifico et permultis carminibus celebrato opere coniungebatur. Nam poetae Graecorum epigrammatici, quascunque ingenium suppetebat, orationis conversionibus et acuminibus, ut summam, quam in homines, animalia et artificem ipsum habuisset, ludendi vim forma quam lepidissima exprimerent, contenderunt atque per multa saecula hoc facetiarum aucupium

non intermiserunt. Liber Palatinus triginta servavit, IX, 713—742. Inter quae Antipatro Sidonio 720—724 et 729 tribuuntur, haud pessima, non tamen omnia ab ipsius ingenio profecta. Ep. 720 color e Leon. Tar. IX, 719 ductus est, ep. 724 color fortasse ex Erinnae VI, 352. — Transgrediamur ad ea carmina, quae in poetas aliosque viros insignes scripta sunt. In his reperiuntur, quae unum et quae plura acumina habeant. Unum sane ep. sufficit, haud raro autem poetae ingenii ubertatem ostentabant et plurium epp. materiam in uno coacervabant. Quod si in nonnullis non infeliciter factum esse videmus, regulam pulchritudinis inde derivare non possumus. Unum acumen praebet ep. in Sappho IX, 66, poetae praeeunte Platone a multis vario modo expresso in ep. IX, 506. Mnemosyne poetria audita, ne decimam habeant Musam mortales, extimuisse dicitur. Deinde VII, 81 in septem sapientes, epitaphiis perperam additum a Constanstino Cephala. Nominibus patriisque recensitis omnes sapientiae maxime invidendae custodes appellantur. Denique XVII, 5 in Zenonem, cuius argumentum iam indicavimus. Plura acumina insunt ep. in Homerum VII, 6, cuius dignitas et munera, quibus fungitur apud Deos, Musas, Heroes, Graecos, totum orbem terrarum compresse et eleganter describuntur. Non negligendum tamen est, singulas laudes a singulis Homeri functionibus petitas totum quoddam efficere. VII, 34. Pindarus Pieria tuba vocatur, gravis bene tornatorum versuum faber, cuius carmina a Musarum examine in Cadmi thalamis ficta esse dicas. VII, 218 in Laidem, famosissimam meretricem, quae laudibus quam maximis a poeta cumulatur. Fuit illa, quae auro et purpura luxuriabatur, mollior Venere, Pirenes undis splendidior, plures eius proci fuerunt quam Helenae, sepulcrum eius a Venere et Cupidinibus defletae crocum, ossa unguentum, capilli thus redolent, et, nisi amplexus suos vulgasset, pecunia eos venales faciens, de ea, quemadmodum de Helena, bellum exarsisset. Restant carmina in Anacreontem. In eadem re celebranda ut complures in Anthologia poetae (praeter Antipatrum in Anacreonte Simonides VII, 24 et 25, Dioscorides VII, 31, Anonymus VII, 28, qui simili ac noster ratione pensum

suum peragunt, Theocritus IX, 599, Leon. Tar. XVI, 306, Leon. 307, Eugenes 308, Anonymus 309, qui imaginem Anacreontis cecinerunt, Crinagoras IX, 239, qui Anacreontis odaria Antoniae dono offert, Iulianus Aegyptius VII, 32 et 33), sic ex more satis divulgato singuli compluries elaboraverunt. Quinquies, quantum scimus, VII, 23. 26. 27. 29. 30 Antipater Sidonius Anacreontem cantavit idque venuste et eleganter fecit: dolendum tamen est, quod horum quoque carminum indoles maximam partem non nativa est, sed aliunde ascita. Ep. enim VII, 23 Simon. VII, 24 et Dioscor. VII, 31, ep. VII, 30 Simon. VII, 25 vestigia pressit, VII, 26, ni fallor, Anonymi istius ieiuni VII, 28, qua de re tamen Jacobsio secus videtur. Carmen VII, 29 ob sonum elegiacum elegiacis magis videtur esse annumerandum: quum tamen Ant. non tam dolorem suum de morte exprimere, quam poetam laudare voluerit, et quum semel de carminibus in Anacreontem disseratur, hoc loco tractandum esse duxi. Collatis autem inter se argumentis quinque carminum similitudinem quandam facile conspicamur inter 23 et 26, 27 et 30. In illius paris altero carmine hederam floresque circa Anacreontis sepulcrum virere, vino et lacte eius ossa conspergi Antipater cupit, altero Anacreon ipse, Dionysi olim cultor assiduus a viatore vinum tanquam pernecessarias sibi inferias efflagitat. In hoc pari Anacreontis apud inferos conditio agitur; ep. 30 poeta eum ibi quoque cantui et amori deditum esse fingit, et ep. 27 optat, ut, quibus diis deabusque vita consecrata fuisset, Musarum, Bacchi, Amoris donis illic quoque fruatur. Ep. 29 poeta dolet, quod una cum cithara sua et Smerdi iam Anacreon dormiat, cuius carmina, quippe qui ad puerorum amores inclinaverit, eos maxime spirent. Quod auctor lemmatis: *θαυμαστὸν τὸ ὅλον ἐπίγραμμα* rectissime sensit, pulcherrimum est ep. 27. Poeta nihil melius, nihil acceptius Anacreonti se optare posse credit, quam ut, quae viro gratissima fuerint, iis vel mortuus teneatur: idem ep. nullum Anacreontis studium non commemorat: *λυρίζειν, κωμάζειν, ἐρᾶν*. Expositio valde placet: penicillum vividissimis coloribus tinctum: dictio elegans. Neque minus bellam ep. 23 poesis et vitae Anacreonteae

descriptionem continet, qua de caussa a Romeo di Vargas non immerito pro exemplari habitum est p. 57. Reliqua epp. totum Anacreontem non perinde complectuntur, ep. 26 solum fere vinolentiam, 29 et 30 praeter afflatum divinum amorem praedicant. Nec, quandoque dicendi genus contemplor, tantopere haec mihi arrident, quantopere illa. Ep. 29 distichon secundum contortum nimis et flosculis orationis abunde exornatum videtur: displicet porro, quod etiam Graefio ad Meleagrum p. 127 βαρβίτῳ ἀγκρούον proponenti accidisse videtur, barbiti compellatio inter εὕδεις et ἔφυς. Etiam ep. 30 vehementiam et gravitatem verborum affectavit poeta haud scio an nimiam: cuiusmodi sunt χὴ παίδων ζωροτάτη μανίη, ὅλος ᾠδίνεις Κυπρίδι θερμοτέρη. — Ep. VII, 748 corruptum et fortasse mutilum. Huc tamen pertinet, quum hoc appareat, de laude aedificii cuiusdam ingentis altitudinis roborisque agi.

Iam ad aliam huius generis speciem transeamus, ad carmina elegiaca. Medium quasi locum inter antecedentia et haec tenet ep. in Sappho VII, 14, cui sententiae insunt ad laudem poetriae, eae ita tamen prolatae, ut dolor de morte inde concitetur. Aeolidem poeta alloquitur, Sappho condentem, quae inter Musas immortales mortalis Musa canatur, quam Cypris et Amor una nutriverint, quacum Suadela Pieridum usque florentem coronam nexuerit, et in fine Parcas de vita immortali poetriae non suppeditata accusat. Vere elegiaca sunt: VII, 464. Poeta, ut animum nostrum tristi Aretemiadis sorte commoveat, introitum eius ad inferos nobis depingit, dicens, eam cum foetu utero incluso e scapha inferna vestigia in Cocyti ripa ponentem a Doricis feminis defletam esse iisque haec tristia nuntiasse: duplici partu gravida marito Euphroni alterum reliqui, alterum mortuis adduco. Jacobs. in Anim. ad A. L. II, 1 p. 99 hoc carmen ab Heraclide VII, 465, quod in codice Palatino lemma habet Ἡρακλήτου, expressum esse dicit. Hic enim Heracletus ei in Anim. T. XIII p. 902 ab Heraclide Sinopensi, homine haud minus obscuro, non diversus esse videtur. Cui opinioni sola coniectura nitenti ea de caussa, quod secundum Passov. quaest. p. 7 Heraclides ad Philippicam epigrammatum congeriem contulit, carmina autem

VII, 406—529 e Meleagrea depromta sunt, non adstipulor. Est igitur VII, 465 Heracleti, huncque potius Antipater, Meleagro aequalis, quam Antipatrum Heracletus expressisse videtur. VII, 467 Artemidori, filii duodecim annorum, mortem mater moeret: pro eo, quem cum doloribus peperit et eximie amavit, ad infernas sedes degresso nunc cippus mutusque cinis ei relicti sunt. VII, 146. Elegia virtutis in tumulo Aiacis. Auctor ep, VII, 145, quod liber manuscriptus Asclepiadae vindicat, Brunckius Eustathio iubente ad Aristotelis peplum retulit, quisquis fuerit, quatuor versibus Virtutem illam, ipsam infelicem in hoc Aiacis tumulo sedere, comas detondentem, magno afflictam dolore, quum apud Achaeos dolus et fraus plus ipsa valeat, querentem facit: Antipater Sidonius, apud quem v. 1—4 eadem exprimunt, addidit: arma autem Achillis dicant: virili fortitudini, non obliquis verbis convenimus. VII, 241, scriptum in Ptolemaeum, regis Aegypti filium, qui ante regnum initum pestilentiae contagio abreptus periit. Eius mortem a parentibus, nutritore, Aegypto crines evellentibus, ab Europa, cuius domus ingemisceret, a Luna, quae prae moerore sese contraheret et coelum linqueret, admodum luctam esse dicit. Versibus tamen ultimis se ipsum et luctuosos solatur poeta, non in Orci noctem descendisse, sed a Iove Ptolemaeum in Olympum esse ductum dicens.

Genus IV. Eam speciem, qua poeta e duarum rerum comparatione sententiam quandam novam eruit, duo epp. repraesentant. XVI, 167 in Praxitelis opera, Venerem Cnidiam et Amorem Thespiensem. Quemadmodum poetae in artium operibus nihil magis mirari, quam vitae et sensus speciem inanimis rebus tributam, sensuumque gravitatem ita significare solent, ut eos vel ad inanimas res permanare dicant, Venerem talem esse ait, ut quamquam lapidea tamen vel lapidem amore incendat (Jac. emendatione praeclara utor λίθος pro θεός scribentis), Amorem talem, ut non saxum sed adamantem ab eo inflammatum iri dicas. Praxiteles autem has duas imagines consulto separavit, ne in uno loco positae omnia igne consumturae essent. IX, 567. Antipater Antiodemidis mimae venustatem et mollitiem, quam maxime potest, effert,

halcedinem Lysidis, quippe quae ob lasciva carmina Lysidi in disciplinam se tradidisse videbatur, iucundum Ebrietatis oblectamentum eam vocat, mollissimae et delicatissimae lanae eam, aviculam Paphiae, incumbere, oculorum obtutum somno molliorem, manus mollicalas et delicatas, membra tam lenta et flexibilia esse dicit, ut ossa habere non videatur, sed lacte in calathis coagulato constare. Haec in Italiam profecta est, sedem Romanorum asperorum et bellicosorum. Quid ibi vult? Molli sua venustate Romanorum animos emollire. Refero ad IV genus etiam VI, 291 et VII, 353. In illo artificium vetulae vinosae narratur, quo votum, cui se per morbum adstrinxerat, elusit. Voverat enim, se febri liberatam centum ἠελίους nihil nisi aquam esse bibituram. Voti compos facta fallaciam struxit, quam ei ambiguitas vocis ἠέλιος suppeditabat. Cribro enim oculis obiecto plures soles simul conspexit. In codice hoc carmen, quia de voto agitur, ἀναθηματικοῖς additum est: iis tamen, quae vulgo sic dicuntur, plane dissimile est. Si quis poetam rem factam narrare putet, is generi primo hoc ep. adiiciat: mihi potius merus lusus poeticus esse videtur, quo simul ad risum excitandum composito hominum mores, qui vota et promissa, quae res adversae iis extorsere, rebus secundis persaepe implere nolunt, perstringit. VII, 353, expressum e Leon. Tar. VII, 455. Poeta Maronidem vinolentam, quae calicem in tumulo habeat, nec liberis nec marito, sed sicco calice dolere dicit.

Antipater Sidonius igitur, si argumenta carminum respicimus, maxime in ἀναθηματικοῖς, epitaphiis, carminibus laudativis versatus est: praeterea elegiaca, epp., in quibus ex fabella sententia quaedam elicitur, confecit: non aggressus est epp. amatoria, in animalia, plantas, regiones amoenas: salsa et mordacia, iocosa fere nulla reliquit. In epp. secundi generis laudandum est, eum plerumque unitatis carmini conservandae studiosum fuisse. Maxime autem in genere tertio, cui etiam plurimam operam navavit, excellit, quum virorum praeclarorum ingenia et mores describit: hic etiam ingenii poetici ubertatem ostendit, saepius non unum, sed plura uni ep. acumina addens. In hoc

genere ingeniosus, facetus, lepidus, suavis, elegans est. In ἀναθηματικοῖς, quae minus probabilia videntur esse, iam animadvertimus: in universum autem dicendum est, eum non semper breviloquentiam curare, praecipue non in elegiacis, quorum nonnulla elegiae quam ep. similiora sunt. Magna autem carminum pars non ab ipsius ingenio profecta est, sed ex antiquioribus expressa: saepissime Leonidam Tarentinum imitatus est, praeterea etiam Simonidem, Dioscoridem, Alcaeum Messenium, Erinnam, Platonem, Aristotelem. Ipse quoque imitatione haud indignus habitus est a Meleagro, Archia, Philippo Thessalonicensi, Nicarcho. Iam nescio an quis eius, cuius plura carmina eaque partim optima manifesto aliis debeantur, cetera quoque fortasse omnia, praesertim quum in res antiquas scripta sint, ex antiquioribus poetis expressa esse putet. Quod affirmare non audeam, sed credam, a Crasso apud Cic. de Or. III, 50 Antipatrum non eam solummodo ob caussam, quod aliorum versus, quorum infinitum numerum memoriae acri (*memorem* idem Crassus eum nominat) tradidisset, bene in rem suam convertisset, ingeniosum esse vocatum, sed etiam, quod ipse ingenio ad inveniendum acuto praeditus fuisset.

CAPUT V.

DIALECTORUM USUS.

Unumquodque poesis genus quamquam ab initio suam dialectum, quae ad patriam poetarum in eo genere principum conformata erat, habebat, accidit tamen, ut finibus illis egressum etiam aliarum dialectorum formas adscisceret. Haec dialectorum permixtio, cui tragici poetae modice praeluserant, inprimis magna est in poetis elegiacis et epigrammatariis. De his rata sunt, quae Jacobsius in praefat. ad A. P. T. I p. XLII dicit: „Iam vero quum unaquaeque dialectus proprie peculiarem loci et populi, apud quem nata est, characterem ostendat, noli mirari, si peculiari ipsorum

populorum indole magis magisque mutata et in communi quadam forma soluta, id quod factum fuisse constat, libertate primum sub Macedonibus, deinde in Romanorum dominatione exstincta, dialectorum quoque, quibus illi utebantur, discrimen imminutum, et termini, quibus olim divisae fuerant, propius sibi invicem admoti sunt. Et quum dialecti non iam in ore hominum vigerent, sed in putridis chartis delitescerent, usu venire coepit, ut iidem homines diversis in scribendo dialectis uterentur. — — Hinc satis credibile est, factum fuisse, ut poetae adsuescerent, dialecto ionicae doricis passim formis modeste immixtis maiorem conciliare sonum, doricam autem ionicis formis illatis emollire.“ Ad haec, priusquam ad Antipatrum Sidonium transeamus, duas res in memoriam revocasse iuvabit: iudicium de dialectis etiam apud Anthologiae poetas eo difficilius reddi, quod librariorum fluctuatio et inconstantia nullis in rebus maior fuerit quam in his: Dorismi ipsius diversa genera esse, aliud asperius Sophronis et Epicharmi, aliud recentius et ad Ionismum nonnihil emollitum Theocriti, aliud Pindari. Cf. Herm. de dial. Pind. obss. p. IV: „Fundamentum huius dialecti est lingua epica, sed e Dorica dialecto tantum adscivit Pindarus, quantum et ad dictionis splendorem et ad numerorum commoditatem idoneum videretur, repudians illa, quae aut interioris essent, aut vulgaris, aut certis in locis usitati Dorismi.“ Iam nos quaestionem de dialectis, quibus usus sit Antipater Sidonius, ita absolvemus, ut prius, quas singularum dialectorum formas adoptaverit poeta, indicemus, tum singula carmina dialectorum ratione habita distinguamus.

I. Eae verborum formae, quae non tam dialecto cuidam, quam sermoni poetico propriae sunt: quibus etiam eas adscribimus, quae, ut primitus unius dialecti fuisse videantur, ab Homero et Doricis poetis usurpatae sunt.

1, Verba solummodo poetica, ut *γαῖαν* VII, 745. 7, *γαίης* VII, 748. 6, *σαοφροσύνας* XVII, 5. 4, *χελιδονίδων* VI, 160. 1, *θοῦρος* VII, 424. 4, *μαλθακίνη* IX, 567. 8, *κανών* VII, 745. 9, *πλάθειν* IX, 323. 6, *ἐσάωσε* VII, 498. 5, *πάρος* VI, 159. 1, *ἐνί* XVI, 167. 3, *ποτί* VII, 424. 7, 427. 9, 498. 2, XVII, 5. 1. 3,

ὄφρα VII, 26. 3. Huc etiam pertinent τὰ ἅπαξ λεγόμενα: Ἀθωέος VII, 748. 5. οὐτήτειρα VII, 172. 5, σταλουργός VII, 423. 5, χερμαστῆρος VII, 172. 3, ἀφόρυκτα IX, 323. 1, θαλπτήρια VI, 206. 1, θυμοβαρής VII, 146. 2, κλαγερῶν VI, 109. 8, παλιμπλανέος VI, 287. 4, πανεύτονον VII, 425. 3, πολυῤῥοίβδητον VI, 160. 3, φιλοπλέκτοιο VI, 206. 3, συνομήθεις, συνομώνυμος ib. 9.

2. Vocabula poetica facta consonantis vel apocope, ut ἔμπαλι VI, 47. 5; vel epenthesi, ut πτολέμοιο IX, 567. 7, ἀπτολέμων IX, 323. 5; vel assimilatione, ut καλλιπόμαν VII, 464. 8.

3. Vocabula poetica, quae distant a vocabulis orationis solutae vocalium mutatione: productione brevium, Μακηδόνος VII, 246. 3, Διωνύσου VII, 26. 5, —σῳ VII, 27. 9; correptione diphthongorum, ποθινά VII, 467. 5, χερί VI, 291. 7, XVI, 178. 3; antithesi diphthongorum, ὀστεῦν VII, 218. 9, σεῦ IX, 723. 1, αρνεῦμαι VI, 47. 5, δινεῦσαι VII, 14. 6, παταγεῦσαν VII, 8. 4, στοναχεῦμεν ib. 7, Θευδώροιο VII, 426. 3. (Syllabas θεο Dorienses in θευ contraxerunt, quos secuti sunt epici aetatis posterioris); diaeresi diphthongorum, Ἀΐδην VII. 8. 8, — ης 30. 5, ληΐσταί VII, 745. 1, ὀϊστευτῆρ VI, 118. 3., ἐΰπλοκον VI, 174. 3, ἐΰστροφα VII, 172. 3, Θρήϊξ VII, 303. 3, ὀϊστοβόλος VII, 427. 10; epenthesi vocalium, ἠελίου VII, 172. 7, —ους VI, 291, 4. 8; syncope vocalium in commissura verborum compositorum, ἄνδεμα VII, 423. 4, ἄνθεμα VI, 47. 2, ἄγκειμαι VI, 159. 3, ἀγκρεμάσας IX, 323. 3, ἀμπαύσῃ IX, 567. 8, ἀνθέμενος XVII, 5. 2, κάτθανεν VII, 498. 6; elisione vocalis ε in ποτί ante α, ποτ' ἄστρα XVII, 5. 3, ante ε, ποτ' εἴρια VII, 424. 7, ante ο, ποτ' Ὄλυμπον XVII, 5. 1.

4. Declinatio substantivorum et adiectivorum. a. Genitivorum terminationes αις et οις, prout versus iubet, cum priscis αισι et οισι commutantur. b. Genitivi terminatio αο, Κρονίδαο, VII, 2. 5, 161. 1. c. Accusativi terminatio ῆ pro έα vocabulorum in εύς exeuntium, Μεγιστῆ VII, 27. 5. d. Dativus δαΐ pro δαΐδι VI, 159, 1. e. Dativi terminatio εσσι, μα—

κάρεσσιν VII, 27. 1, μερόπεσσιν VII, 161. 3, λαγόνεσσι IX, 721 1.

5. Adiectiva composita non communia, sed trium terminationum, ἀθανάταις VII, 14. 2, ἁλιῤῥοθία VII, 6. 4, ὑπωροφίαισι VII, 424. 5, φιλαστραγάλη VI, 276. 6.

6. Pronomina, ἄμμες VII, 146. 6, 161. 6, ἄμμι VII, 467. 8, τοι VII, 241. 1, 467. 1, ὔμμιν X, 2. 8, τεός VI, 159. 3. 10, VII, 27. 10, VII, 467. 1, τεῷ VII, 467. 1, ἑάν VII, 241. 5, τεῦ VII, 161. 1, ταί VI, 174. 1.

7. Coniugatio. Augmentum, quemadmodum metrum postulat, verbis Ant. Sid. et apponit et non apponit.

8. Tmesis. VI, 111. 5, VII, 218. 11, 303. 4, IX, 323. 5.

II. Dialectus Ionica et epica. Eae hic enumerantur formae, quae vel epico sermoni propriae sunt vel Ionicae et ab epicis assumtae sunt. Formas enim Ionismo orationis prosae proprias non usurpavit Ant. Sid., nisi huc trahas πετηνῶν, ut Jac. pro πετεηνῶν VI, 14. 3 et πετινῶν VI, 109. 5, codicis scripturis depravatis, dedit. Hanc tamen formam, quamquam non reperitur nisi in scriptoribus Ionicis orationis solutae, nihil moror: epica enim, πετεηνός, ex ea facta est.

1. Vocabula epica, Ἀθηναίη XVI, 178. 5, — η VI, 47. 1, κεῖνο VII, 464. 6, πίσυρες VII, 427. 3, ἀγχόθι VI, 287. 5, κέ VII, 23. 5, κέν 26. 3, τίπτε IX, 721. 1.

2. Consonantium mutatio. Σσ praeter πλάττεις IX, 724. 2, nusquam cum Atticorum ττ mutatum est; ρσ nusquam commutatum cum Attica forma ῤῥ; aphaeresis, αἶα VII, 81. 5; duplicatio, ὅσσον VII, 161. 3, 426. 4, τόσσον VII, 161. 4, ἔλλαχεν VII, 146. 4, σπασσάμενος VI, 111. 6, ὅττι VII, 146. 3, 353. 5.

3. Vocalium mutatio. Ει pro ε ponitur: Ἀνακρείοντος VII, 26. 1, 30. 1, εἴρια VII, 423. 3, 424. 7, ξεῖνε VI, 174. 8, VII, 6. 4, 164. 7, (ξένε VII, 2. 2, 423. 1, 425. 5, 498. 8.), ὀρειονόμων VI, 14. 2, χρύσειον VI, 206. 8, εἰν VII, 464. 4, εἵνεκα VII, 218. 6. Η pro α, ἠέρος VI, 14. 5, Θρῆϊξ VII, 303. 3. Θρηκός VII, 27. 6, Πληϊάδων VII, 748. 4, Πρίηπος X, 2. 7, ψῆρα VII, 172. 1, ἄκρητον VII, 27. 8, φιλακρη–

του VII, 26. 6, — ος 353. 3. *Η* pro ει, πετηνῶν I. 1. *Ι* pro ευ, ἰθὺν VII, 427. 9. *Ου* pro ο, δούρατος VI, 111. 4. — τα IX, 323. 2, κούρη VI, 276. 3, νούσῳ VI, 291. 1, οὔνομα VII, 427. 12, 164. 2 (ibid. v. 1. ὄνομα), μοῦνον VII, 29. 5, μούνας XVII, 5. 4, μουνόγληνος VII, 748. 1, οὖλον VII, 27. 3, οὔλας VI, 276. 1. *Ω* pro ε, διαπλώσας VII, 23. 8. *Ε* additur in κενεοῖς VI, 14. 6, ἠέ VII, 27. 5.

4. Declin. subst. et adi. a. Arbitrio suo formis solutis et contractis subst., adi. et verb. utitur Ant. Sid. b. Decl. I. Ionicorum epicorumque more α cum η commutavit saepissime. Genitivi sing. in εω exeuntis haec reperiuntur exempla: Θεαρίδεω VI, 111. 3, Μαιονίδεω VII, 2. 2, Μελικέρτεω VII, 303. 5, Σμερδίεω VII, 27. 6. Gen. plur. in έων unum: ληϊστέων VII, 745. 8, dat. plur. in ησι etiam unum: προμολῆσιν VII, 246. 1. c. Decl. II. Genit. terminatio οιο: ἀκάτοιο VII, 464. 1, Ἀλεξάνδροιο VII, 246. 3, βόλοιο VI, 109. 7, Ἐνυαλίοιο VI, 46. 1, Θευδώροιο VII, 426. 3, πτολέμοιο IX, 567. 7, ἀλιζώνοιο VII, 218. 3, εὐρυπέδοιο VII, 748. 6. φιλοπλέκτοιο VI, 206. 3. d. Declin. III. Genit. terminatio εος pro εως, Σεμιράμεος pro Σεμιράμεως (Jac. scripsit — ιος, quae emendatio non necessaria videtur.) VII, 748. 2; ῆος pro έους, Ἡρακλῆος XVII, 5. 3; dat. termin. ηϊ pro ει, Ἄρηϊ IX, 323. 3.

5. Pronomina. Σέθεν VII, 467. 5, σεῖο VII, 745. 6, 467. 7, IX, 729. 2.

6. Coniugatio. Γοόωσα VII, 467. 2, ἔδεκτο VI, 14. 6, ἐπιβωσάμενον VII, 745. 3, ζώειν VI, 174. 7, ζώοντα VII, 303. 1, πεπτηότας VII, 427. 3.

III. Dialectus Dorica.

1. Consonantium mutatio. *Ξ* pro σ, στάλικας VI, 109. 4. *Σδ* pro ζ, μελίσδων VII, 29. 3, συρίσδης IX, 722. 2. *Τ* pro κ, τῆνος XVII, 5. 1.

2. Vocalium mutatio. *Α* pro η, ἀγέτιν VII, 425. 3, ἀέλιον VII, 6. 2, ἀϊόνι VII, 464. 2, ἀλικίᾳ VII, 427. 12, ἅλικες VI, 174. 1, 206. 10, ἀνία VII, 424. 3, ἀνίκα VII, 8. 7, ἀνίοχον Jac. (ἡνίοχον cod.) VII, 424. 8, ἀριζάλου VII. 81. 6, ἀσυχίας Jac. (ἡσυχίης cod.) VII. 424. 10, ἐγάθεον VII, 425. 9, δᾶμος VII, 748. 7, εἰράνας VI, 159. 2, Ἑλλάνων VII, 6. 2, κα–

δομέναν VII, 425. 4, κάρυκα VII, 6. 1, κυναγεσίαν VI, 118. 6, μαννει VII, 427. 6, μάταν VII, 426. 5, μάτηρ VII, 8. 6, 241. 1, 467. 1, ματέρος XVI, 178. 1, Μιτυλᾶνα VII, 81. 3, Μναμοσύνας VII, 8. 6, — ναν IX, 66. 1, ναῖτις VII, 2. 3, σᾶμα VII, 164. 3, σάματι VII, 425. 1, 467. 1, Σελάνα VII, 241. 7, σκᾶπτρον Jac. (σκηπτρον cum α scripto supra η cod. — ῆ — Suid.) VII, 241. 10, σκάπτροισι VII, 427. 7, στάλα VII, 427. 1, 467. 8, στάλᾳ VII, 425. 10, σταλάτιδι Br. Jac. (σταλήτιδι cod.) VII, 424. 1, σταλουργός VII, 423. 5, στάμονος VI, 160. 6, στάμονα VI, 174. 2, χάν VII, 425. 7, χᾶνα ibid., 2. *A* pro ω, πρᾶτοι VII, 427. 4. Crasis, κἠν XVI, 167. 4.

3. Decl. subst. et adi. a. I. Pro η, ης, ῃ, ην Doricae terminationes α, ας, ᾳ, αν saepissime reperiuntur, Gen. sing. termin. α, Νεολᾴδα VI, 109. 9, gen. plur. ᾶν, δροσερᾶν VI, 291. 4. b. III. νεότατος VII, 427. 5.

4. Pronomina, τέο VII, 464. 5; Doricae formae articuli praepos. et postpos. saepissime reperiuntur in Ant. Sid. epp.; praeterea ἐμᾷ, σᾶς, ἑάν, ἀμετέρας, αὐτά, τοιάνδε, τάλικον.

5. Coniugatio. *A* pro η: αὐδάσει VII, 424. 8, 425. 3, γενόμαν VII, 161. 4, ἐδρεπόμαν IX, 723. 2, ἕστακα VII, 426. 5, ἕστας VII, 161. 1, καλλιπόμαν VII, 464. 8, κοιμάσεις VII, 8. 3, νεμόμαν IX, 720. 2, φάσεις XVI, 167. 1, φάσει VII, 423. 2, τμαθέν VII, 427. 2. *Ευ* pro ου: εὖσα XVI, 167. 2. *H* pro αει: ὁρῇς VII, 353. 2. *Ντι* pro νσι: ἀγγέλλοντι VII, 427. 7. *Σ* pro ν: ἦς VII, 427. 11. *T* pro σ: φατί VII, 81. 2.

Inde patet, interioris Dorismi aut certis tantum in locis usitati nullas formas Antipatrum usurpasse, sed eas fere tantummodo, quibus etiam Pindarus utatur. Ex iis tamen, quae Theocritus praebet non communes cum Pindaro, usus est his: ἦς, κἠν, μελίσδων, ὁρῆς, πρᾶτος, συρίσδης, τῆνος.

IV. Dialectus Attica. Crases, quarum frequentissimus usus est Atticis, etiam poetae epigrammatici in rem suam converterunt. Antipater Sidonius: κἀμέ VII, 172. 5, (ita Jac.; cod. καιμέ), τἀμά VII, 26. 4, τοὐν VII, 172. 8, χἠ VII, 30. 2, χὠ VII, 427.

8, ὠ'γρευτῆς VI, 118. 4, ὤνερ VII, 423. 7. Praeterea has habet formas Atticas: αὖθις VII, 423. 8, ἰσοπάλαστον VI, 287. 7, νεώς, gen. voc. ναῦς VII, 498. 3, πλάττεις IX, 724. 2.

Iam ad alteram huius quaestionis partem nos convertimus. Novem epp. pura dialecto epica scripta sunt: unum τῶν ἀναθηματικῶν VI, 47; tria in Anacreontem VII, 26. 27. 30; ep. in Persas VII, 246 primi epp. generis; duo ad elegiacum pertinentia VII, 303 et 725; Martis querelae IX, 323 et IX, 567 in Antiodemidem convenienter mollitiei eius.

Dorica dialecto tria epp. scripta sunt, unum ea, qua usus est Pindarus, ita ut praeter formas Doricas etiam epicae ab eo usurpatae reperiantur, duo dialecto poetarum bucolicorum, quum formis Doricis Pindari etiam formae Doricae ab his tantum usurpatae admixtae sint. Illud est IX, 723, haec IX, 722. V. 2 συρίσδης. Σδ pro ζ usurpare Theocriti est, non Pindari. Contra eodem versu legitur μαστῷ, forma Pindarica. Theocritus enim uber μασδόν vocat. Alterum est XVI, 167. V. 4 κῆν legitur.

In ceteris epp. iisque plurimis Dorismus Ionismo mixtus est. Quorum tria genera distinguimus: ea, in quibus dominatur dialectus epica: ea, in quibus dominatur dialectus Dorica: ea, in quibus Ionicae et Doricae formae aequaliter mixtae sunt. Unam tantum formam Doricam carmini epico admixtam videmus in VI, 276, v. 2 σμηχομένα, in VII, 29, v. 3 μελίσδων. Jac. scribendum esse suspicatur μελίζων, et sane in ep. sequenti eiusdem Antipatri v. 3 legimus μελίζεται. Veruntamen modo commemoravimus similem formam συρίσδης: qua de causa non corrigendum esse videtur. VII, 218, v. 2 ἁβροτέραν legimus. Jac. aliam quoque formam Atticam eandemque Doricam verbis Graecis intulit, pro φαιδροτέρην cum Suida φαιδροτέραν scribens. VII, 353, v. 2 ὄρῆς. Jac., rectius, ait, ὁρᾷς scribes. VII, 498 v. 2 γᾶν. X, 2. v. 8 ἐνορμίτας (vid. Ant. Thess. V, 30. 2). Duo Dorismi indicia insunt his: VII, 23. 6, εὐφροσύνα et 7 ἀοιδᾷ; VII, 164. 3 σᾶμα et 4 ἁμετέρας. Jac. σῆμα et ἡμετέρας scribendum esse dicit. Nescio an, si semel corrigamus, ἡμετέρης po-

tius sit. VII, 748, 5 ἐρίπνᾳ et 7 δᾶμος. Tria Dorismi signa impressa sunt VI, 291. 2 κεκλιμένα (cod. sic altero loco et Jac.; altero loco idem cod. κεκλιμένη), 4 δροσερᾶν, 7 θεμένα (cod. sic alt. loc. et Jac.; θεμένη cod. alt. loc. Plan. Suid.)

Enumerabimus nunc ea, in quibus potior est dialectus Dorica. Eas nimirum formas epicas, quae apud Pindarum quoque extant, omittimus, nam, si quae carmina pura dialecto Pindarica scripta sint, iam vidimus unumque indagatum carminibus Doricis addidimus. Semel Dorismum Pindaricum neglexit in his epp.: VI, 118. 4 ὠγρευτής; VI, 159. 2 ἐκπροχέουσα (Pind. ἐκπροχέοισα); VI, 174. 4 ἠλακάταν; VII, 34. 3 Μουσῶν (Pind. Μοισῶν); VII, 161. 2 Ἀριστομένους (Pind. Ἀριστομένευς); VII, 425. 6 ἀμπλακίης cod. (Jac. ἀμπλακίας recte, ut videtur); VII, 426. 1 ἀμφιβέβηκας; IX, 720. 1 ἥρμοσε; IX, 721. 2 μαζοῖς; XVII, 5. 2 Ὄσση. V. 1 τῆνος legitur, forma Dorica a Pindaro non usurpata. Huc etiam traho VII, 423. 3, quia inest una forma epica, a Pindaro non usurpata; v. 3 εἴρια. Bis Dial. Pind. negl. in his epp.: VI, 46. 2 μέλπουσαν, 4 λῆξας (Pind. λῆξαις); VI, 109. 5 πετηνῶν, 9 σκοπιῆτα (Dorienses dixisse videntur σκοπιᾶτα); VI, 111. 3 Θεαρίδεω, 4 πλῆξας; VII, 8. 7 νίασιν, 8 Ἀΐδην; IX, 66. 2 Μοῦσαν ἔχουσι (Pind. Μοῖσαν ἔχοντι). Ter Dial. Pind. negl. in his epp.: VI, 160. 3 καρηβαρέοντα (Dorienses dixisse videntur καραβαρέοντα), 5 πῆνας (Theocr. Id. XVIII, 32 πανίσδεσθαι), φιληλάκατον; VI, 206. 4 πολιῆς, 9 Ἀριστοτέλους, 10 Οὐρανίη; VII, 6. 1 προφήταν, 2 βιοτῇ, 3 Μουσῶν; VII, 2. Μούσαις, 2 φθεγξαμένην κεφαλάν cod. (— ναν — λάν Suid. Plan. Jac.), Μαιονίδεω (huiusmodi forma extat apud Mosch. Id I, 14); VII, 146. 1 ὅττι, 4 ἔλλαχεν; VII, 464. 3 φορέουσαν, 5 ξαίνουσα, 7 ὠδίνασα. Quater Dial. Pind. negl. in his epp.: VII, 241. 3 ἀμήσας, 5 χαίτην cum α scripto supra η cod., ut Paulss. docuit, 9 θοινήτορα (Dorienses dixisse videntur θοινάτορα), 10 σκῆπτρον cod. (σκᾶπτρον Jac.). Suidas etiam pro ὅλας v. 9 habet ὅλης. VII, 427. 3 πίσυρες, πεπτηότας, 12 οὔνομα, ἐφηβαίη. VII, 467. 2 δωδεκέτην, γοόωσα, 6 ἔβης, 7 σεῖο. Quinquies Dor. Pind. negl. in hoc ep.: VII, 424. 1 σταλήτιδι πέτρῃ cod. (σταλάτιδι πέτρᾳ Jac.) 6 ἠλακάτας, 8 ἡνίοχον cod. (ἁνίοχον Jac.), 10 ἡσυχίης cod.

(ἀσυχίας Jac.). Nescio an non recte quinque formas Doricas huic ep. intulerit Jac.

Dialectus epica et Dorica aequaliter mixtae sunt in his: VI, 14. Epicae formae, quarum quaedam simul Atticae sunt: v. 2 ὀρειονόμων, 3 πετηνῶν, 4 δεραιοπέδην cod. (δεραιοπέδαν Jac.), 5 ἠέρος (ἠέρι Theocr. Id. XXV, 92.), λίμνης cum α scripto supra η cod. (λίμνας Jac.). Doricae formae: v. 1 τέχνας, 3 τάν (sic cod. habet pro τῶν secundum Paulss.), 4 τάνδε. VI, 287. Epicae formae: 2 ὑφηνάμεθα, 3 Βιτίη, 4 σπιθαμήν, ἠνύσατο. Doricae formae: 1 ταύταν, 2 τάν, 5 ξανθά, 6 λαιᾷ vel potius λαιάν. Vid. Paulss. VII, 14. Epicae formae: v. 1 τήν cod. sec. Paulss. (τάν Jac.), Μούσαις, 2 Μοῦσαν, 3 ἧς cod. (ἇς Jac.), 7 ἦμαρ. Doricae formae: 2 θνατάν, ἀειδομέναν, 3 ἄν, 6 ἠλακάτας. VII, 172. Epica forma: v. 1. ψῆρα. Doricae formae: Βιστονίαν, 4 πτανῶν. IX, 724. Epicae formae: 1 μυκήσεται, Προμηθεύς. Dorica forma: v. 1 ἁ. IX, 729. Epica forma: 2 σεῖο. Dorica forma: 2 τέχνας.

Hactenus de dialectorum mixtione in carminibus Antipatri Sidonii. Vidimus, raro tantum eum in uno eodemque ep. unam dialectum puram servare, saepissime dialectos inter se miscere: permixtionem autem ad certas leges usque quaque accommodasse vix videtur.

PARS III.

DE ANTIPATRO THESSALONICENSI.

CAPUT VI.

VITA.[17])

Sidonius Antipater quum Meleagri Coronam exornaverit, is, quem Philippus in prooem. v. 7 nominat, Thessalonicensis fuerit et aut saeculo ante Christum proximo aut saeculo post Christum primo aut exeunte illo et ineunte hoc saeculo vixerit necesse est. Multo tamen accuratius eius aetatem ex hominum quorundam mentione in eius epigrammatis facta definire licet. Multa enim carmina Antipatro tributa, in Augusti aequales scripta sunt: haec igitur, etsi Passovius, plurima eorum in Corona Philippi locum habuisse, non demonstrasset, ad Thessalonicensem non referri non possent et de aetate eius nos dubitare non patiuntur. Octo epp. Pisoni inscripta sunt; quibus unum addas, quo poeta carmen epicum Bessorum victori, quem non nominat, dicat. A. u. c. 743 *atrox in Thracia bellum ortum*, quae verba apud Velleium Paterculum l. II c. 98 legimus, *omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis virtus compressit. Quippe Legatus Caesaris triennio cum his bellavit: gentes-*

---

17) Vide Voss. de vet. poet. temp. p. 72, de hist. Graec., ubi de Antipatris disputat: Jons. de hist. scr. phil. l. I c. 18: Boivin mém. de l'acad. des inscr. T. II p. 279—320: Fabric. bibl. Gr. T. IV p. 462: Reisk. not. poet.: Jacobs. A. L. T. XIII p. 848—850.

que ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum: eiusque patratione Asiae securitatem, Macedoniae pacem reddidit. Caussam et historiam huius belli, cuius etiam Florus IV, 12. 17 meminit, Dio Cassius ed. Reim. T. I p. 764 C. latius perscribit. Idem Piso, qui Velleii tempore, i. e., a. u. c. 783, praefectus urbis erat, ab hoc scriptore extr. cap. plena manu laudatur: *de quo viro hoc omnibus sentiendum ac praedicandum est, esse mores eius vigore ac lenitate temperatissimos, et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, et magis, quae agenda sunt, curet, sine ulla ostentatione agendi.* Idem est, ad quem et filios Horatius epistolam suam, cui vulgo Arti poeticae nomen est, scripsit. Iam apparet, Bessorum victorem in illo ep. L. Pisonem esse. Ei VI, 335 causiam Antipater mittit Thracibus arma illaturo. VI, 241 in galeam Pylaemenis, IX, 552 in gladium Alexandri Magni, quae Piso acceperat, conscripta sunt. VI, 249 cereum huic poeta Saturnalia et IX, 93 versiculos diem natalem acturo donat. X, 25 ab Antipatro cum Pisone in Asiam navigante scriptum est, XVI, 184, in Bacchi statuam in eiusdem aedibus collocatam. IX, 541 Theogenes Pisoni duo pocula mittit. IX, 92 Antipater viro cuidam pro hospitalitate versus offert. Non improbabile est, hunc quoque Pisonem fuisse. Id saltem ex omnibus his carminibus efficitur, ut Antipatrum gratiam Pisonis variis modis secutum esse sciamus, eius clientem fuisse et ab eo, poetarum fautore, in familiaritatem receptum esse augurari possimus. — Insuper alia sunt carmina, quae Antipatrum Caesaris Augusti tempore vixisse doceant. IX, 297 Caesar monetur, ut ad Euphratem exercitum ducat, Parthis sua sponte se ipsius imperio subiecturis. Satis constat, Phraatem, regem Parthorum, veritum, ne se bello persequeretur, Augusto in Bithynia agenti signa et captivos remisisse, nullaque re magis gavisum esse vel sese extulisse Augustum, quam hac sine sanguinis effusione signorum et captivorum Romanorum extorta restitutione. Ante eam hoc epigramma scriptum esse videtur. IX, 418 agitur de inventione ro-

tarum in molis aquariis adhibitarum. Hanc tempore Iulii Caesaris factam esse, plura veterum testimonia confirmant. Vid. Beckmann. Beiträge zur Geschichte der Erfind. II p. 11—12 ann. 21. IX, 517 in Glaphyrum tibicinem. Quem Augusti aetate vixisse coniici potest e Juvenal. sat. VI, 77. IX, 408 et 550 cladem Deliam attingunt. Cf. Pausan. III, 23. Poeta, qui hanc disturbationem (Ol. CLXXIII) ut veterem commemorat ep. 408. 5: Δῆλος ἐρημαίη, τὸ πάλαι σέβας, proximo tempore ante Christum natum vixisse videtur. Iure igitur Thessalonicensi Antipatro dedi XVI, 290 Pyladi pantomimo inscriptum. Hunc enim Augusto aequalem fuisse multi veterum loci produnt. Dio Cass. p. 747. Sueton. Octav. c. 45. Iure etiam IX, 59 in Caium, qui Ῥώμας πάτρας ἔρυμα vocatur, Antipatro inscriptum, Thessalonicensi a me tributum esse, nunc facile demonstrari potest. Antipatri enim Sidonii aetate quis ille fuerit? Thessalonicensis tempore Caius vixit, Agrippae filius, Augusti ex Iulia nepos, quem avus adoptavit et successorem imperii sibi destinavit. Sueton. Octav. c. 64. Hunc significari Jacobsio non contradicente Brunckius et Heynius putant. Ratione minus verisimili Reiskius de Caio Caligula cogitat indeque suspicatur, Antipatrum eius regnum attigisse, a. u. c. 790. Mihi poeta, qui a. 734 procul dubio adultus fuit, quinquaginta sex annis post iam mortem obiisse videtur.

Quae praeterea ex Antipatri epp. ad vitae cognitionem aliquid conferunt, haec sunt. Ex ep. V, 3, nisi ἐπιδεικτικόν sit, colligi potest, poetam rhetorem vel ludi magistrum fuisse. Ibi enim se galli cantu ex amplexibus Chrysillae ad puerorum coetus abstrahi conqueritur. Etiam Romae poetam versatum esse, conфici potest ex ep. VII, 185 in tumulum Libyssae prope Romam sepultae, et ex ep. XVI, 290, quo Pylades Romanos in admirationem sui rapuisse dicitur.

Sex epp. in cod. Antipatro Macedoni adsignantur. Fabricio is esse videtur, cuius mentio fit a Meleagro inter eos, e quibus Coronam suam contexuit. Reiskius eum aetate Philippi aut patris Alexandri Magni aut penultimi regis Macedoniae circa Ol. CXLV vixisse dicit, eique VI. 115 in Philippum tribuit, de quo

carmine in extremo libello quaedam dicturus sum. Optime Jacobsius in A. L. T. XIII p. 848 Antipatrum Macedonem et Thessalonicensem eundem hominem habet. Thessalonica enim Macedoniae urbibus annumeratur ab ipso Ant. Thess. IX, 428:

Σοί με, Θρηϊκίης σκυληφόρε, Θεσσαλονίκη
μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακηδονίης.

Philippus Thessalonicensis similiter in Anthologia passim Macedo vocatur, ut in Plan. p. 478 ed. Steph. Certa temporis nota nulli horum sex epp. infixa est: non repugnant igitur aetati Ant. Thess., contra unum IX, 421, quod cladem illam Deliam attingit, ad hunc auctorem adducit, cuius duo epp. de eadem re huic simillima iam attuli. Accedit, quod tria epp. IX, 215. 282. 421 ex iis ad Philippi Coronam pertinuisse Passovius ostendit.

Antipater ergo Thessalonicae, Macedoniae urbe, natus aetate Augusti vixit, L. Calpurnio Pisoni, Bessorum victori, notus fuit eiusque gratiam sibi quaesivit. Quibus annis natus et mortuus sit, prorsus ignoramus. Probabiliter Pisonem Romam secutus est. Rhetor vel grammaticus fuisse et praeter epigrammata etiam carmina epica fecisse videtur.

CAPUT VII.

DE INTERPRETATIONE CARMINUM.

Non aliter haec tractanda est, quam apud Antipatrum Sidonium: lectore igitur ad ea, quae exordio cap. III dixi, delegato ad res singulas me converto.

VI, 241. Hoc ep. Boivinus loco supra laudato p. 307 edidit, quod Jacobsius in Anim. non annotavit.

VII, 18. V. 4 *ὃν Μουσέων ἐννέ᾽ ἀριθμὸς ἔχει.* Jac. in D. E.: „*ἀριθμὸς Μουσέων* est pro *Μοῦσαι*, quibuscum ille choros celebrat.“ Dictum hoc etiam videri potest ad similitudinem illius: „*γῆρας ἔχει με*“: qui omnes Musas apud se recepit tanquam hospitas, cuius carmina omnium Musarum gratias spirant.

VII, 185. Idem in hoc ep., quod ad VI, 241 dixi, valet.

VII, 289. V. 4. cod. Pal.: ὢ γαίης κύματα πιστότερα. Plan.: ὢ γαίης κύματα πικρότερα. Non incommode Lennepius in Anth. Bosch. coniicit: οὐ γαίης κύματα πικρότερα. At nulla causa est, cur in codicis scriptura non acquiescamus.

VII, 390. V. 5 τηλοῦ δ' Αἰγανέης τε καὶ Βεροίης νικηθεὶς Διὸς ὁ δρομεὺς καθεύδει. Censor secundus D. E. legendum esse proponit: τηλοῦ δ' Ἠμαθίης τε καὶ Βεροίης κ. τ. λ. Ut de pleonasmo inde oriundo nihil dicam, mutationis huius non admodum facilis iustam caussam Peerlkampius habuisse mihi non videtur. Interrogat enim, cur hic mentio fieri possit duarum urbium: in tali re urbem unam memorari, in qua aliquis natus sit, a qua procul remotus interierit. Est ita: attamen caussam, ob quam duae urbes hic nominentur, quamvis ignoremus, idoneam facile animo fingere possumus. Faciamus enim, Apollodorum magnam vitae partem in altera harum urbium habitasse ibique uxorem liberosque reliquisse: nonne aeque dolendum erat, eum ab urbe patria atque ab ea, quae carissima quaeque ipsi contineret, remotum iacere?

VII, 531. V. 8. Usurpari in hoc versu οἶδα periphrastice, etiam Herm. dicit ad Viger. p. 755.

VII, 637. Varia in Add. ad A. L., in Add. ad A. P., in Ann. crit. ad D. E., ut v. 6:

καὶ φράσεν· Ἀργῴην κοὐκ ἐπόθησε τρόπιν.

languenti mederetur, coniecit Jac. Meo iudicio una solum littera mutata versus bene habebit:

καὶ φράσιν Ἀργῴην κοὐκ ἐπόθησε τρόπιν.

sic κ in voce κοὐκ, quod librario aegerrime tribuatur, a Jacobsio e versu extrusum retinetur. Sententia autem haec est. Pyrrhi cymba sulphure et fuligine satis domini casum monstrans fatidico illo Argus ligno non indiguit. Quod poeta sic expressit, figura, quae ἓν διὰ δυοῖν vocatur, usus: nec linguam nec carinam Argus desideravit.

VII, 640. V. 6 ἃ λυγρῆς δειλὲ κακορμισίης. Peerlkamp. ad hunc versum haec adnotat: „Omnino mutandum videtur in καλορμισίης. Vis epigrammatis cernitur in eo, quod tranquillitas et serena tempestas, unde

aliis nullum est periculum, ipsi letalis acciderat." Haec sane vis est ep., sed hanc sententiam iam bis poeta significavit, v. 1—2 et v. 5 *γαληναίῳ ὑπ' ὀλέθρῳ*, ita ut repetitione eius non opus esset: *ὅρμισις ἐν γαλήνῃ* autem, etsi nullum praeter moram incommodum affert, *καλή*, grata et accepta nautis non est.

IX, 10. V. 1. *Πούλυπος*. *Πουλύπος* scribendum esse Passov. in lex. docet.

IX, 46. V. 3 *τίκτε γὰρ εὐθὺς ἄελπτα μετ' οὐ πολύ*. Versum hunc, quo propter *εὐθὺς* cum *μετ' οὐ πολύ* parum commode copulatum Brunckius audacter pro *εὐθύς* ex coniectura scripserat *υἱόν*, Jacobsius *Ἀτθίς* proposuerat, Hier. de Bosch. ante *μετ' οὐ πολύ* interpunxerat (quod tamen, ut de rhythmo bucolico laeso taceam, non rectius cum *αὐτῆμαρ* quam cum *εὐθύς* coniungatur), Peerlkampius in Cens. D. E. mutata interpunctione iuvare studuit: „*Τίκτε γάρ, εὐθὺς ἄελπτα, μετ' οὐ πολύ*. Peperit enim, quod tunc, quum precabatur, sperare non audebat, haud ita diu post. *Εὐθύς* eo temporis momento, tunc." Hanc vim *εὐθύς* habuisse mihi nec per se credibile est, neque ex exemplis allatis Peerlkampius probavit: sunt illa exempla: Alciphr. I, ep. 26 *Εὐθὺς μὲν οὖν μόλις με προςεῖπε, ζημίαν ἡγούμενος τὴν προςηγορίαν· εἶτα* sqq. Plut. Eum. *εὐθὺς μὲν ἴσχυε μέγα παρ' αὐτῷ· ὀλίγον δὲ ὕστερον* sqq. Suet. vit. Aug. 27: nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paullo post per centuriones torsit. Itaque verba Graeca ad voluntatem Peerlkampii distincta sic potius in linguam Latinam transferenda sunt: peperit enim, quod extemplo (i. e. post precandum, ita ut subsit notio temerariae desperationis) non sperabat, etc. Hoc fortasse verum est. Ceterum de pleonasmo illo huic poetae concedendo non admodum sollicitus sum. — Passovius in Jahn. annal. 1827 I p. 68 haec dicit: „Sehr anstössig ist am Schlusse des 25sten Epigramms vom jüngern Antipatros die Stellung des Artikels *φωσφόρος ἡ σελάων* statt *ἡ φώσφορος σελάων*, die wir auch dem schlechtesten und unbeholfensten Versmacher nicht zutrauen würden. Wir brauchen nur *φωσφόρος ἧ σελάων* zu betonen und auch das erste *ἡ* als Relativum zu fassen, um jedes Bedenken zu heben."

IX, 93. Idem in hoc ep., quod de VI, 241 dixi, valet.

IX, 112. Verba Graeca haec sunt:

Τρὶς δέκα με πνεύσειν καὶ δὶς τρία μάντιες ἄστρων
φασίν· ἐμοὶ δ' ἀρκεῖ καὶ δεκὰς ἡ τριτάτη.
τοῦτο γὰρ ἀνθρώποις βιοτῆς ὅρος· οἱ δ' ἐπὶ τούτοις
Νέστορι· καὶ Νέστωρ δ' ἤλυθεν εἰς Ἀΐδην.

Ep. VII, 157, quod eiusdem coloris est, mihi propter maiorem simplicitatem huius archetypum esse videtur. Jacobsius in Comm. crit. et in Add. ad A. P., Graefius in Annot. mst. v. 3 et 4 corrigere conati sunt. Mihi hoc epigramma sola interpunctione mutata sanari posse videtur. Primum Antipater dicit, astrologos sibi, cui vel triginta sufficiant, vitam triginta sex annorum praedixisse. *Ἀρκεῖν* transitivum: arcere aliquid ab aliquo, intransitivum est: defensionem praestare alicui, ei prodesse, bono esse, sufficere. *Ἐμοὶ δ' ἀρκεῖ καὶ δεκὰς ἡ τριτάτη*: e re mea vel triginta sunt. Verba: *τοῦτο γὰρ ἀνθρώποις βιοτῆς ὅρος* uncinis includantur: hic enim terminus vitae hominibus. Quibus verbis ad vulgarem illam sententiam de aetatibus respicitur, quarum tres apud Herodotum saeculum efficiunt. Pulcrius hanc sententiam expressit Anonymus iste: *ὁ γὰρ χρόνος ἄνθος ἄριστον ἡλικίης.* Pergit poeta post verba interposita: *οἱ δ' ἐπὶ τούτοις Νέστορι;* Supple orationem vocabulo *ἤρκεσαν*. *Οἱ δ' ἐπὶ τούτοις* qui sunt? Anni puto, quos quis trigesimo transacto vitae suae addit. Quia poeta *δὶς τρία* dixerit, eum *ἔτη* mente habuisse colligas: audio: itaque *ἐτέων* v. 2 post *δεκάς* cogitatione addendum est. At v. 3 *οἱ*, non *τὰ* reperimus: *ἐνιαυτοί* igitur vocabulo *ἔτη* memoria delapso poetae obversatum esse videtur. Vero tamen similius est, notione universali *χρόνοι* orationem redintegrari. Apud scriptores aetatis posterioris *χρόνος* saepe idem significat atque annus. Vid. Hemsterh. ad Ar. Plut. p. 178. 407. Valck. diatrib. p. 135. Quandoquidem Antipater de vita diuturna cogitat, Nestor subito in animum incurrit. Num anni, quos Nestor plus triginta vixit, ei quid profuerunt, bono fuerunt? Verum etiam Nestor senectute longa peracta inferos adiit. *Δὲ* particula sic initio responsionis posita est Hom. Od. *μ*, 116 et *π*, 418.

IX, 238. Aliter atque Jacobsium in Anim. verba μετ' Ἐληθυίης interpretari Silligium, eius verba declarant in Catal. artif. p. 308, ubi de Onatae Aeginetae operibus disputat: „Apollo aeneus, Pergami positus, qui quum propter magnitudinem tum artem plurimi aestimabatur. Paus. VIII, 41. 4. Ab eo diversus sine dubio fuit alter eiusdem artificis Apollo, comite Ilithyia, commemoratus ab Antip. in A. P. IX, 238.“ Simplicior utique haec interpretatio est: an verior sit, dubitaverim. Nam neque alterum Onatae Apollinem, qui ab Antipatro tam eximie laudatus cogitari illustrissimus debet, aliunde novimus, neque hic deus cum Ilithyia coniungi solet, neque arguta illa sententia, quae Jac. interpretatione efficitur, hoc Antipatro indigna est.

IX, 241. V. 5. *Εὐαγόρας δ' ὢν χαλκός* etc. Jac. in Anim. illa verba sic explicat: „quasi in nummos mutatus, ut dii in bestiarum formas.“ In Add. ad A. P. ineptum existimat, hominem bene nummatum simpliciter aes dici faciliusque tulerit *ὁλόχαλκος*. Mihi *ὢν χαλκός* non modo tolerabile, sed unice verum et ad acumen epigrammaticum, quod mutatione, ne sublatum dicam, certe praestingeretur, reservandum necessarium videtur.

IX, 282. V. 6 *δοῖα* in A. P. et in D. E. vitiose legitur pro *δοιά*.

IX, 541. Idem in hoc ep., quod ad VI, 241 dixi, valet. V. 5 *δισσὰ γὰρ ἀμφοῖν μέτρα πιών, ἄθρει πάντα τὰ φαινόμενα.* Haec verba explicanda esse videntur e confusione duarum locutionum: *ἀλλὰ πιὼν ἄθρει* et *πιὼν γὰρ ἀθρήσεις*.

CAPUT VIIII.

DE CARMINUM ARGUMENTO ET INDOLE POETICA.

Lectore in memoriam eorum, quae de notione et distributione epigrammatis c. IV disserui, reducto ni-

hil obstat, quin statim ad epp. Antipatri Thessalonicensis in singula genera dispertienda accedam.

Genus I. Ἀναθηματικά, quorum Antipater Sidonius multa fundens in aliis priscam servavit simplicitatem, ad alia pompam verborum adhibuit, Antipater Thessalonicensis non admodum coluit. Tria tantummodo habemus, ea sane simplicissima, VI, 93. 198. 209. Harpalio piscator iaculum, quod prae senectute fortiter ferre non amplius valebat, Herculi ponit: Lyco Phoebo primam barbam cum votis offert, ut quondam etiam canam detondere possit: Cythera Veneri statuam marmore Pario confectam dedicat deamque orat, levidense hoc munusculum magno, concordissima cum coniuge vita, remuneretur. Quatuor eorum, in quibus Pisonis mentio iniicitur, ἀναθηματικά sunt, eo tantum diversa ab illis, quod homo, non deus, dona accipit. IX, 93 Pisoni diem natalem celebraturo versiculos poeta mittit, eumque rogat, ut exiguum munus, unius noctis laborem, ceu magnus Iupiter parvum thus, serena fronte excipere velit. IX, 428 carmen epicum, quod iam dixi, loquitur, argumentum et auctoris sui patriam indicans et optans, ut, quum nemo tam occupatus sit, quin Musis aures praebere possit, a Pisone amice accipiatur. VI, 249 cereus ei Saturnalia acturo offertur, et hic affirmat, se incensum lucem a deo exauditam esse editurum, i. e. preces ad candelam conceptas non irritas fore. VI, 335 causia Pisoni Thracibus bellum inferenti dono datur precesque adduntur, ut, quae antea Persas vicerit, nunc Thraces victura sit, comiter accipiatur. Huc etiam pertinet IX, 92, quo viro cuidam pro hospitalitate versus donantur, quamquam paullo artificiosius est. Comparatione enim haud ineleganti poeta sui admirator utitur. Pro tenuibus muneribus carmina reddentem sese ad cicadas, quae vel rore inebriatae cygnis clarius cantent, aequiparat. — Transeamus ad epitaphia. VII, 369 in Antipatrum rhetorem factum est. Huius, nobis aliunde non cogniti, poeta ait, omnes Graeci praestantiam testantur, Diospolis et Athenae de patria eius, qui utravis urbe dignus est, certant. V. 5 et 6 has urbes cognatas esse et alteram Minervae, alteram Iovis tutelae commissam audimus. Excellentiam igitur earum

poeta ostendit, ut re vera honorificum aliquid de Antipatro utraque digno appellato dixisse videatur. Jac. in Anim. V. II P. III p. 10, quemadmodum ego feci, ultimos versus, si constaret fuisse, qui Cecropem Thebis in Atticam venisse traderent, vellet interpretari. Quae quum ita non sint, ultimum versum caussam indicare putat penultimi: „cognatae sunt, quod altera sub Minervae tutela, altera sub Iovis tutela est," probe intelligens, sic verba ἑνὸς αἵματος non satis commoda esse. At hoc ipsum et duplex δὲ non minus incommodum faciunt, ut meam explicationem teneam et existimem, nisi fabula istiusmodi usus sit Antipater, eum propter totam Aegyptum, quae bene Atticae Cecropis caussa cognata vocari possit, illis urbibus ἓν αἷμα tribuere. VII, 185 in servam Libycam, quae, dum domina nuptias ei parat, defuncta liberam sepulturam nacta est, scriptum, VII, 402 in Lysidicen vetulam, quae domus ruina oppressa eandem pro tumulo habuit. — VII, 390, etsi mortem Apollodori narrat, tamen propter v. 1 Κυλλήνην ὄρος Ἀρκάδων ἀκρύεις, non epitaphium, sed narratiuncula de morte cogitandum est. Ad illum montem Apollodorus stadiodromus sepultus est, quem Pisa, ut videtur, in patriam redeuntem fulmen percussit. VII, 531 nota illa de Damatrio Spartano, quem e proelio reversum mater interemit, fabula narratur. A simplici expositione ep. sane aliquantum recedit et oratio eius incomta dici nequit. IX, 96 Antigenes moribundus filiam, ut piam castamque vitam agat, hortatur. XI, 37 in codice Palatino nulla alia de caussa τοῖς συμποτικοῖς immixtum esse videri potest, quam quod v. 3 de uvis messis memoribus agitur. Antipater hominem quendam alloquitur, quem, quum Arcturo orto itaque hieme appropinquante tegumentis non instructus sit, alsurum esse dicit, sidus vituperantem. Cur hanc hominis tristem conditionem versibus descripsit, nisi ut misericordiam suam verbis exprimeret? Aliam caussam non intelligo; attamen animi hoc sensu imbuti et se ipsum aliosque ad auxilium provocantis signa in verbis nulla insunt, immo vero clausula: ὑποσκλήσῃ δ' ἀστέρα μεμφόμενος ipsa quam maxime friget. Diligentiam quandam in hiemis imminentis descriptione, quam v. 1—4 continent, vide-

tur posuisse, ita ut vel insolitis et exquisitis dictionibus (σταφύλῃ δρεπάνης ἐπιμιμνήσκονται) usus sit: vereor tamen, ne ipsa haec descriptio ob hanc caussam et quia longe maiorem carminis partem occupet, in hoc certe ep. minus apta sit. VII, 666 poeta lectores per regiones Leandri et Herus amoribus celebratos circumducit. — Restant duo epp. huius generis, in quibus artis opera describuntur. VI, 208, cuius argumentum paullo obscurius est. Vid. Heyn. in Comment. soc. reg. Gotting. T. X p. 116: „Tres feminae corporis quaestu ditatae, viris nuptae, Veneris templum et signa dedicaverunt, quod Aristomachi Strymonii opus erat. Videntur tamen et ipsae aut dona deae dedicasse, soleas, pallam, poculum, aut haec manibus tenentes trinis signis effictae adstitisse.“ IX, 59. Id. Heyn. ibid. p. 110: „Mirum est argumentum: quatuor signorum anaglyphum in fastigio aedium C. Caesaris, Augusti nepotis e filia, quatuor Victorias exhibens, quatuor numina, Minervam, Venerem, Herculem et Martem in caelum evehentes.“

Genus II. Fabellae, e quibus sententia quaedam elicitur, multae in epp. Ant. Thess. reperiuntur. VII, 168. Polyxo, quae temere et in perniciem suam ait mulieres sobolem sibi precari, trinis filiis uno partu editis, in ipsis obstetricis ulnis animam reddidit. Unus igitur daemon vitam huic eripuit, illis dedit. IX, 309. Gorgo vetula gravi tonitru perterrefacta ad focum mortua concidit. Obitum, ut fit, non una causa adduxit, sed plures: Mors πρόφασιν quaesivit et senectus non valuit resistere. — Fabulas mythologicas ad sententiam e narratiuncula eruendam adhibet VII, 637. Pyrrhi piscatoris fulmine in mari percussi navis sponte ad littus rediens sulphure et fuligine indicium fecit, quo mortis genere dominus periisset. Itaque, ut nuntium adferret, non opus ei erat ligno illo fatidico Argo navi inserto, quod navigantibus deorum voluntatem significabat. IX, 417 Lampo canis cum siti laborans fontem effodere frustra conatus esset, mortuus cecidit: quo facto aqua scaturire coepit. Ita hanc mortem poeta interpretatur, ut Nymphas occisorum cervorum ultionem petivisse dicat. IX, 215. Mors Cleonices narratur, quae sponsi Deimachi conveniendi gratia Hellespontum traiiciens nau-

fragio periit. Hellespontus igitur mulieribus semper infestus est: Cleonice enim Hellen imitata est et Herus amatorem idem fretum absorpsit. IX, 418 ad rotarum in molis aquariis adhibitarum inventionem spectat. Quam poeta ita accipit, ut manuum operam a Cerere Nymphis commissam aureamque aetatem rediturum esse dicat, quum Cereris frugibus sine labore uti liceat. Carmen hoc a Passovio Ant. Thess. vindicatum etiam mentione rotarum facta, quod iam dixi, ad Augusti tempora refertur. False Jac. in A. L. T. XIII p. 846 tradit, hoc ep. codicis auctoritate Ant. Sid. tribuendum videri: in codice enim τοῦ αὐτοῦ inscriptum est praecedente ep. Ἀντιπάτρου. — Praecepta ad agendum spectantia poeta in his epp. dedit: VII, 398 expressum, ut videtur, e Leon. Tar. VII, 660. Polyxenus quidam Smyrnaeus, quum a coena per viam pluvia lubricam rediret, in praeceps delapsus periit. Inde commonemur, ut ebrii nocte vias aqua madidas vitemus. Etiam IX, 82 ebriis praeceptum aliquod datur, quanquam non ita nudum, ut in VII, 398, sed poetico colore tinctum. Fabula haec est: Ion quidam vinolentus in ipso portu e navi excussus periit. Praeceptum hoc est: Mare ubique ferox et perniciosum, maxime autem iis, qui ebrii incidant, Tyrrhenis a Baccho in delphinos mutatis eius cultum odio habentibus. Choreae navales igitur fugiendae sunt. IX, 268. Gorgo canis Cretensis modo cervo, quem persecuta fuerat, interfecto novem catulos uno partu edidit. Exhortatur poeta cervas Cretenses, ut fugiant catulos e matre, quae eos in ipso venandi actu pepererat, noscentes. IX, 302. Apes infantem Hermonactem ad earum alvearia adrepentem aculeis confecerunt. Merito quidem serpentum lustra reformidamus, sed apes non minus timendae sunt: nam mel earum amarum est, i. e. dolorem incutere potest. — In aliis epp. non solum id, quod maxime memorabile est in aliqua fabula, poeta simpliciter indicat, sed cum affectu quodam sive admirationis sive luctus sive alio enuntiat. VII, 289, expressum, ut videtur, a Leon. Al. VII, 550 Antheus naufragus, quum e maris periculis enatasset, a lupo ad Penei ostia interemtus est. Laudantur undae, quae terra fideliores fuerint. VII, 625 Diodorus multa

maria emensus in portu, dum abundantem cibum evomit, e navi excidit. Miratur poeta, quod tantulum aquae virum tanto pelago spectatum perdiderit. VII, 640. Pyro nauta, qui velis utebatur, tempestatem quidem fugit, sed malacia in mari regnante a piratis parvum navigium suum remis impellentibus captus est. De sententia huius fabulae et de exclamatione, qua clauditur ep., iam capite antecedente egi. IX, 10. Polypus marinus ab aquila raptus cirris avem constrictam secum in mare detraxit. Aquilam poeta commiseratur, quae una cum rapina vitam reliquerit. IX, 407. Pueruli cuiusdam, quum ad maris littus prorepsisset, a fluctibus absorpti casu Antipater commotus mare satis frigido acumine detestatur, dicens, id instar matris infantem excepisse et tamen, quum plus quam materna mamma potionis ei porrigeret, frustratum esse. IX, 46. Mulier coeca et sterilis, quae, ut altero malo liberaretur, precata erat, eodem die et peperit et visum recuperavit. In extremo carmine poeta Dianam invocat: vult igitur, haec fabula exemplum sit eius benignitatis. IX, 550. Tenos cum Delo comparatur. Quis hanc illa vastiorem se visurum esse credidisset?

Hucusque ea epp. tractavi, quae fere in duas partes dilabuntur: in aliis poeta studuit, ut unitatem ep. conservaret. Quod ut fiat, res ipsa loquitur in his epp.: VII, 216 et 639, quae maris perfidiam ostendunt. Delphinus, qui in littus fluctibus eiectus sepulcrum nactus erat, terram magis quam mare piam dicit queriturque, hoc ne sui ipsius quidem liberis pepercisse. Aristagoras, qui famosissima quaeque maris loca felix praeternavigavit, sed in ipso portu Scarphaeo naufragium fecit, sortem suam narrat, e qua colligi possit, mare ubique atrox esse et ad hominum interitum paratum, e secunda fortuna igitur omnia pendere, hanc sibi a quoque esse exorandam. VII, 367. Egerius, cui sponsam sequenti caligo ex animo deliquio orta oculorum aciem hebetavit et una cum oculis ipsam animam exstinxit, sorte sua narrata et Sole invocato faci nuptiali maledicit, sive eam, quae mortem videretur attulisse, Hymenaeus nolens sive Orcus volens incenderit. IX, 231 et 282 arbores loquuntur. Alterum suavissimum est. Platanus, quae longa senectute

exaruit, felicitatem suam praedicat, quia vitis ipsam viridantibus pampinis ambiat: quisque sibi huiusmodi amicos alat, qui vel mortuo gratiam referant. Laurus prope flumen posita viatores rogat, ut se frondibus ad stratum faciendum privare nolint, adesse vel propius flumen varia arborum genera dicit, unde, quibus opus sit, petitum eant. Huc etiam pertinet IX, 112, cuius argumentum capite proximo copiose exposui. — Restant denique ex hoc genere tria epp. de Pisone. VI, 241. Pylaemenis galea Pisoni dono oblata nec se alio capite nec Pisonis caput alia galea dignum esse censet. IX, 552. Gladius Alexandri e ferro Macedonico conflatus, qui Pisoni traditus est, laetatur, quod e viri fortissimi haereditate in viri fortis manum pervenerit. XVI, 184. Colloquium fit inter rem et viatorem. Bacchi statua in Pisonis aedibus collocata se custodem felicitatis adesse indicat. Viator respondet, Bacchum domum ei convenientem ingressum esse, nam et aedes Baccho dignas esse et Bacchum aedibus.

Genus III. Ut supra factum est, a carminibus in artis opera scriptis ordimur: quorum duo reperi. Alterum eiusmodi est, ut poeta artificis mentem nobis aperiat. XVI, 143 in Medeae imaginem, quae *τὸ μὲν εἰς χόλον αἴρειν ὄμμα, τὸ δ' εἰς παίδων συμπαθίην κλάσαι* dicitur. Dubitari potest, utrum de Heynii sententia (Comment. soc. reg. Gotting. T. X p. 113) *τὸ μὲν, τὸ δὲ* non ad *ὄμμα* referenda sint, sed eandem vim atque *cum, tum* habeant, an, quod Jacobsius in Anim. putat, Antipater, non magni iudicii homo, quae alii de duplici affectu in eodem vultu commixto dixissent, ita acceperit, ut alterum Medeae oculum liberorum amorem, alterum iram et furorem ostendisse crederet, an, quod mihi non prorsus ineptum videtur, unius et alterius oculi vultu nihil nisi duplicem in eodem vultu affectum significari voluerit. Alterum est IX, 238, quo argute Apollo ab Onata fabricatus collaudatur. Is Iovis et Latonae venustatem testatur, non indignam hanc ab illo esse amatam, non temere Iovis oculos et caput laudari. Ipsa Lucina Onatae in Apolline gignendo (dicuntur enim artifices opera sua *τίκτειν*) opem tulisse, itaque totum opus Iunone non invita ex aere fusum esse videtur. — Transimus ad epp. in ho-

mines illustres, inter quos ad poetas et poetrias primo nos convertimus. IX, 26. Novem poetriarum, quas Graecia habuit, nomina citantur, nonnullis cum epithetis ornantibus. Omnes in primo ep. ab Helicone et Piero carminibus nutritae esse et in extremo novem Musae coelestium instar e Terra ad mortalium aeternum gaudium genitae dicuntur. Quae similitudo non ab Antipatro inventa est, sed iis debetur, qui Musarum rationem habentes hunc poetriarum circulum condiderunt. VII, 39 in Aeschyli sepulcrum, qui primus gravi eloquentia tragicam dictionem et cantum superciliosum turris in modum eduxisse dicitur. Cuius ep. color quum ex Arist. ran. vv. 925 et 1004 (ed. Tauchn.) ductus sit, Antipatro haud multum laudis relinquitur. IX, 186. Hoc carmen, quo Aristophanis mores et ingenium poeticum describuntur, pulcherrimum est. V. 1—4 poeta libros comici alloquitur, quibus audacter, ut personis, comam hedera cinctam tribuit, quos Bacchum et grandem sonum habere et gratiis timendis repletos esse dicit: v. 5—6 generosissimum eum appellat, qui urbane et facete, sicuti Graecorum moris sit, digna odio risuve oderit riseritve. — Praeter epp. in poetas alia Antipater in viros suae aetatis claros composuit. VI, 256. Hoc ep., quod in codice locum ineptum occupat, in Nicophontem scriptum est, pugilem Milesium, cui cervix tauri, aheneі Atlantis humeri, coma et barba venerabilis Herculis, oculi leonini tribuuntur, et quem ne Iupiter Olympius quidem Olympia vincentem sine metu conspexisse dicitur. IX, 517 in Glaphyrum tibicinem. Elegans carmen et meliore poeta, quam qualem vulgo se praebet Thessalonicensis, haud indignum. Sicuti Orpheus feras, Glaphyrus ipsum Orpheum ad se sequendum impellere dicitur. Phoebo Marsyas, Glaphyro ipse Phoebus canendo cedit. Minerva, quae tibiam a se inventam abiecit, id non fecisset, si item ut Glaphyrus ea uti scivisset. Vel Somnus in Pasitheae ulnis eum audiens expergisceretur. IX, 557. in Ariam stadiodromum Tarsensem. Hic patriae conditorem, Persen pennipedem, qui ne ipse quidem eum cursu praeversurus fuisset, non dedecorat: semper enim aut propter carceres aut propter calcem, nunquam in medio stadio visus est. Multo minus, prae-

sertim ob clausulam sat frigidam placet XVI, 200 in Pyladem pantomimum. Postquam enim hic ipsum Bacchum induisse totamque urbem Romam eius numine complesse dictus est, haec sententia additur: Thebae norunt Bacchum igne editum: is vero, quem nos loquacibus digitis editum vidimus, vere coelestis est. — Laudibus haec omnia epp. erant destinata, in aliis poeta vituperator est et exagitator. VII, 236. Argutissimum carmen in Themistoclis sepulcrum Magnesium. Sepulcrum illud non tam pro Themistoclis monimento, quam pro monimento invidiae et perversi iudicii Graecorum, qui tantum virum patria extorrem egerunt, habendum est. Plan. Steph. et Wechel. hoc ep. Anytae dant: nihilominus Antipatro adscripsi, cum litterarum ductibus horum nominum permutationi admodum faventibus tum illius poetriae carminum, quae simplicissima sunt, natura permotus. XI, 31. Improbos et aquae potores sibi formidolosiores esse, quam Pleiadum occasum et saevum maris aestum et fulmen Antipater dicit. XI, 20 eos versificatores perstringit, qui ingenium poeticum obscura eruditione compensare studebant. Occasionem perstringendi poetae Homeri et Archilochi natalitia, a quibus istos abesse cupiebat, dederunt. XI, 327 in Sidoniorum coniuges. Quas Antipater maledico dente carpit, eas similes esse dicens mulieri cuidam macrae et deformi, Lycaenidi, quam, quibus potest, maculis adspergit v. 4 verbis *γοῖ γοῖ* orationem abrumpens, quasi iam ipsum taedeat tantam turpitudinem describere. Antipatri Sidonii ob Sidoniarum commemorationem hoc ep. esse Brunckius suspicatur. Verum tamen, quum epp. XI, 318—327 excepto uno 323 litterarum ordine et poetarum nominibus Philippi Corona sibi vindicet, insuper nomen gentile poetae nomini adscriptum sit, lemma verum esse puto.

Haec epp. elegiaca sunt. VII, 629. In iniustitiam et crudelitatem Graecorum, qui optimum inter homines, Socratem, capitis damnaverint, graviter poeta invehitur. Ultimus versus, quo epitheton acerbissimum Atheniensibus dedisse videtur, apud Cephalam corruptus est: Planudis scriptio eius ingenio deberi videtur. Quid lateat sub verbis οἱ τοσσοῦτοι, fateor me nescire. (Jac. in Add. ad A. P. p. LX ἀπόπτυστοι proponit.)

IX, 408 Delus insula, olim florentissima, de vastatione conqueritur, quae insecuta est bellum Mithridaticum. Poeta insulam facit optantem, ut nunquam floruerit, quum post illas opes, quibus olim conspicua fuerit, vastitas sibi sua et solitudo intolerabilis videatur. Vastatio ipsa poena, quam Iuno Latonae receptae caussa ab insula repetiverit, habetur. Hoc ep. ante oculos habuit Alpheus Mitylenaeus, qui ep. IX, 100 in eandem rem scripto *οὐδὲ λόγοις ἔψομαι Ἀντιπάτρου* **dicit: ne vastatam quidem insulam, quae deos apud se natos viderit, miseram esse. IX, 421. Insulas maris Aegaei poeta deplorat, quae Deli exemplum secutae nunc Siphno et Pholegandro similes sint veteremque splendorem amiserint. VII, 530. Niobae verba sunt, quae Charontem orat, ut se et liberos suos, quippe qui scapham completuri sint, solos recipiat. Primo adspectu negare quis possit, has preces ep. nomen mereri. Aio. Quid enim poeta voluisse videtur? Niobidarum sorte et ostendere, quam acriter vanitas et superbia a diis puniatur, et mentem nostram ad misericordiam revocare. Quare particulam fabulae quam maxime ad illam commovendam factam sibi sumsit, et, ut sumtae tanquam praesentem et vividam imaginem animo nostro intuendam proponat, Niobam ipsam loquentem inducit. V, 3. Poeta cum Chrysilla cubans Aurorae irascitur et gallo gallinaceo, quod ipsum a puellae amplexibus abigant. Fortasse Antipater imitatus est Meleagrum XII, 137: simile etiam Marc. Argentar. IX, 286 est.**

Medium inter genus secundum et tertium dicas VII, 18 in Alcmanem. Nam res quaedam narratur, Alcmanem sub hoc parvo tumulo iacere, lyrae Lacaenae fidicinem egregium, annexo praecepto quodam: cave virum tumulo metiaris! Etiam ultimus versus sententiam quandam praebet: multae matres poetis sunt. Haec generis secundi insignia: tamen inest etiam Alcmanis laus in unum acumen coarctata: *ὃν Μουσέων ἐννέ' ἀριθμὸς ἔχει.*

Genus IV. Huic carmina nonnulla salsa et iocosa adscribo. Ad vinum haec spectant. IX, 305. Lepida narratiuncula, qua poeta vini potationem commendat.

Narrat enim, Bacchum per quietem visum aquae usum ipsi interdixisse, Hippolyti, quem, Veneris contemtorem, dea vehementer ulta sit, memoriam adferentem. Ad v. 3 εὕδεις ἄξιον ὕπνον ἀπεχθομένων Ἀφροδίτῃ explicandum nihil aliud in promtu est, nisi quod sine Baccho Venus frigere dicatur. Quod tamen quum ad probandam Veneris mentionem non suppeditet, vera videtur Jacobsii in Anim. suspicio, Ἀφροδίτῃ a librario profectum esse, qui hanc Διονύσῳ Hippolyti gratia suffecerit. IX, 541. Theogenes Pisoni bina pocula sphaerica mittit, in quorum altero sphaerae septentrionalis, altero australis stellae erant expressae. Usque eo ep. primo generi convenit: versus autem ultimi: „Noli amplius Aratum consulere, utroque enim poculo epoto omnia signa videbis.“, qui facetam doni commendationem continent, postulant, ut totum ep. quarto generi addatur. XI, 24. Poeta pincernam suum Heliconem Heliconi, Boeotiae monti, cuius aqua fontana poetae inflammabantur, componens, se sui Heliconis unum poculum pluris facere dicit, quam mille aquae pocula e fonte Heliconis. — Erotica haec sunt. V, 30. Ludicra Homerici dicti explicatio. Eximie apud eum Venerem auream nominari: auro enim omnia in amore impedimenta tolli: nihil ferentibus omnia clausa esse. V, 31. Huius quoque ep. idea ex illo epitheto Homerico nata videtur. Poeta Venerem nunc tres humani generis aetates in se coniungere, quum aureos, argenteos et aheneos viros apud se recipiat, itaque alteram Nestorem esse dicit: videri sibi etiam Iovem ad Danaen non in aurum mutatum, sed centum nummis aureis venisse. V, 109. Europam, meretricem admodum facilem, poeta describit Iovemque, qui, quum illa una drachma venalis sit, bovis speciem induerit, temere hoc fecisse ait. IX, 241. In Evagoram quendam, qui pecunia tantum in amore valebat, quantum summi dii fraude et potentia. Iupiter enim, Apollo, Neptunus, Ammon, ut libidinem explerent, aliarum rerum speciem assumserunt, hic, quum aes sit, i. e. tanquam in nummos mutatus, sine fraude et transmutatione omnes capit. IX, 420. Telembrotum, qui ab amata, ut videtur, non admissus flebat, poeta docet, Amorem, qui, quum in undis nasceretur, non exstinctus sit, lacrimis

multo minus exstingui posse, sed auro esse molliendum. Simile carmen Zenodoti est, XVI, 14.

De carminibus Antipatri Thessalonicensis duo supersunt, quibus cum epp. nihil commune est nisi brevitas. IX, 297. Caesarem Augustum poeta exhortatur, ut exercitum ad Euphratem ducat, Parthis statim pacem rogaturis, et ut fines imperii Romani, undique Oceano circumflui, usque ad solis ortum proferat. X, 25. Antipater cum Pisone in Asiam proficiscens Apollinem Panormitanum orat, ut felicem navigationem praebeat, et ut Pisoni imperatorem et suis carminibus reddat propitium.

Antipater Thessalonicensis etsi aliorum poetarum vestigiis minus ingressus sit, quam Sidonius, quin ab hoc ingenio poetico vincatur, nemo dubitabit. Quatuor potissimum epp. generibus operam dedit: iis, quibus ex fabula sententia quaedam elicitur, laudativis, mordacibus, iocosis. In primo genere per se minime gratissimo magnam partem nec fabula valde lectoris animum capit, nec sententia aut acuta aut gravis aut concinna est: in ceteris generibus raro mediocritatem superat, modo iusto argutior est, modo frigidus. Neque tamen desunt carmina, quae interdum ei Musam risisse testentur.

CAPUT IX.

DIALECTORUM USUS.

I. Dialectus poetica.

1. Vocabula poetica, ut *ἀήταις* IX, 408. 1, *Γαῖα* IX, 26. 10, *γαίης* VII, 402. 4, *γαῖαν* VII, 168. 3, *πέλεθρα* IX, 282. 6, *Ποσειδάων* IX, 241. 1, *φάους* IX, 46. 4, *ἐναλίγκιον* IX, 305. 5, *χλοερήν* IX, 186. 2, *ἐνί* IX, 82. 3, 231. 3, *ὄφρα* IX, 241. 3, *Ἅπαξ λεγόμενα* sunt: *Εἰληθυίης* Jac. (*Εἰληθυίης* cod. metro adversante) IX, 238. 6, *ἐπιλινευτής* VI, 93. 1, *εὐέρκταις* IX, 92. 4, *ἀκουσίθεον* VI, 249. 4, *ἐπινήιον* IX, 82. 5,

ἑτοιμοτόμοις IX, 282. 2, κηροχίτωνα VI, 249. 1, λιμενοσκόπε X, 25. 1, νεκυοστόλε VII, 530. 1, ποικιλοτερπές IX, 517. 5, τυφήρεα VI, 249. 1.

2. Consonantium mutatio. Assimilatio reperitur in ἐνικάππεσεν IX, 82. 3.

3. Vocalium mutatio. a. Productio brevium. *H* pro α in ἰσηρίθμους IX, 59. 2. *H* pro ε in Μακηδονίης IX, 428. 2, Μακηδόσιν VI, 335. 1. b. Correptio diphthongorum. *E* pro ει in ἀενάων IX, 26. 8. *I* pro ει in ἴκελος IX, 10. 3. *O* pro ου in πουλύπος IX, 10. 1. c. Permutatio vocalium cum diphthongis, αἰετός IX, 10. 4, αἰεί IX, 215. 1; diphthongorum inter se, Ἀριστοφάνευς IX, 186. 1, Ἱπποκράτευς IX, 407. 1, Καλλιγένευς VII, 625. 3, ἀρκεῦν IX, 96. 4, ἠχεῦσιν IX, 186. 4, νεύμενος IX, 96. 2, στέλλευ IX, 297. 1. 3, θευμορίης VII, 367. 4. (vide libelli huius cap. V, I, 3 Θευδώροιο) d. Epenthesis vocalis ε in ἠελίῳ IX, 10. 2, 297. 6. e. Syncope vocalis in commissura verbi compositi, ἄνθεμα VI, 208. 3, ἀντολέων IX, 297. 4. f. Elisio: ἐννέ' ἀριθμός VII, 18. 4. g. Diaeresis, Ἀΐδης VII, 367. 6, Ἀΐδαν IX, 96. 2, Ἀΐδην IX, 112. 4, εὐπλοΐην VII, 639. 5. Θρηΐκίης IX, 428. 1, ληϊστέων VII, 640. 4, ἐϋπλοκάμων IX, 26. 4.

4. Decl. subst. et adi. a. De dativi terminatione αισι et οισι idem valet, quod ad Ant. Sid. annotavi. b. Accus. vocabuloram in έης, ῆς exeuntium termin. έα, ἀγακλέα IX, 26. 5. c. Ἱδρῶ VII, 335. 3 pro ἱδρῶτα. d. Dat. term. σσι et εσσι, ποσσί IX, 417. 3, ἀκτίνεσσιν IX, 418. 5. e. Ἄμφω genit. forma, IX, 10. 6.

5. Adiect. vulgo trium term. factum adi. duarum term., ἠπείροις διδύμοις cod. VII, 18. 5 (διδύμαις Jac. Plan. Suid.)

6. Pronomina, ἐμεῦ IX, 282. 3. 5, σεῦ XI, 24. 6, τοι VII, 531. 1, XI, 37. 1, τεῆς VI, 209. 1, τεόν VI, 335. 3, ἑοῦ VII, 531. 4.

7. Coniugatio, ἔσαν VI, 208. 5, ἤλυθε VI, 93. 4, IX, 112. 4. Augmentum poeta arbitrio suo adponit et abiicit.

8. Tmesis, IX, 59. 5 et VII, 168. 6.

II. **Dialectus Ionica et epica.**

1. Vocabula epica, Ἀθηναίης IX, 26. 6, δένδρεον IX, 282. 1, οὔατος IX, 428. 6, τείρεα IX, 541. 4, εὐπλώτοιο X, 25. 3, πισύρων IX, 418. 6, κεῖνο VII, 367. 4, κείνῳ VII, 666. 6, κεῖνα VII, 286. 3, 639. 4, ἰδέ IX, 26. 7, κεν IX, 517. 3. 5.

2. Consonantium mutatio. a. Σσ nusquam mutatum est cum ττ Atticorum. b. Ῥσ non commutatum cum ῥῥ Atticorum, ἄρσενος XI, 20. 5, –νας VI, 198. 2, Τυρσηνοί IX, 82. 6, χέρσον VII, 216. 1. Semel, in ἄῤῥενες VII, 168. 4 (sic cod. Jac.; ἀρσ– Pl. Br.), ab illa consuetudine poeta recessit. c. Tenuis pro aspirata, αὖτις VI, 198. 6. d. Epenthesis litt. β, ἤμβροτε IX, 10. 6. e. Σ duplicatum, μέσσῃ IX, 309. 3, μέσσῳ IX, 557. 6, ὅσσα IX, 428. 4, ὅσσαις IX, 408. 4; τόσσῳ VII, 625. 6. f. Σ excidit per apocopen πολλάκι VII, 629. 4, IX, 92. 6, 302. 3. g. Γ per aphaeresin, αἴης VII, 39. 3.

3. Vocalium mutatio. a. Ει pro ε, ξείνῃ VII, 286. ξεῖνε IX, 215. 2, ξείνοις VII, 216. 2, πλεῖον IX, 407. 3, εἰλιχθείς IX, 10. 5, εἰν IX, 10. 1. b. Η pro α, Ἄρητον IX, 541. 5, Ἀρίης IX, 557. 1, γρηῦν IX, 309. 2, Εὐφρήτην IX, 297. 1, Θρῆκας VI, 335. 6, Θρηΐκίης IX, 428. 1, κρητήρ XI, 20. 6, ναυηγόν VII, 289. 1, Πρήξιλλαν IX, 26. 3, ἀκρήτου IX, 305. 1, XVI, 290. 4, εὐκρήτου VI, 208. 6, ἀντιπέρην X, 25. 2. c. Η pro ε, Βορηϊάδαι IX, 550. 2, Πληϊάδων XI, 31. 1. d. Ου pro ο, κούρην VII, 367. 4, κοῦρος XI, 24. 3, μουνερέτης VII, 637. 1, οὔνομα IX, 517. 3, 550. 3, πούλυπος IX, 10. 1, μούνιος VII, 289. 3, μοῦνον VII, 367. 3, μούνῳ VII, 666. 2, πουλύς IX, 186. 2, πουλύ VII, 640. 2.

4. Declin. subst. et adi. Formae contractae et solutae subst. adi. et verb., prout metrum postulat, usurpantur. I Decl. a. Ionicas term. η, ης, ῃ, ην saepissime Antip. praebet. b. Gen. plur. έων term., ἀντολέων IX, 297, 4, ληϊστέων VII, 640. 4, Μουσέων VII, 18. 4, πηγέων XI, 24. 2. c. Dat. plur. ησι termin., παλάμῃσι VII, 168. 3, πέτρῃσι VII, 286. 3, θηλυτέρῃσιν IX, 215. 1. II Decl. Gen. term. οιο, Ἀρχιλόχοιο XI, 20. 5, ἐλάφοιο IX, 268. 1, θαμίνοιο VII, 289. 3, Μειάνδροιο VII, 666. 1, νιφετοῖο VII, 402. 1,

Πηνειοῖο VII, 289. 1, εὐπλώτειο X, 25. 3. III Decl. a. –ις, ιος, μάντιες IX, 112. 1. b. –ευς, ῆος, βασιλῆα X, 25. 5. c. –ηρ, ερος, ἀνέρα IX, 215. 5, VII, 18. 1. d. νηῦς VII, 637. 4, νηΐ VII, 637. 1, X, 25. 4, νῆα VII, 640. 3.

5. Adiectiva, πολλόν IX, 10. 2.

6. Pronomina, σεῖο IX, 59. 5, ὑμέων IX, 302. 3, μιν VI, 198. 5, VII, 367. 6, 390. 3, 640. 5, IX, 10. 3.

7. Coniugatio, ἀλωομένη IX, 408. 2, διδοῖ IX, 268. 5, ἔσσο IX, 428. 5, ζώεις IX, 550. 5, κατέκτα IX, 417. 1, κταμένων ibid. 6, ὀνόσσομαι VII, 398. 1, πλῶε IX, 215. 3, τρέσσαντι VII, 531. 1.

III. Dialectus Dorica. Huius usus quum non frequens sit, omnes eius formas exscribam.

1. Consonantium mutatio. Κκ pro κρ, μικκῇ VI, 209. 3. Theocritus, non Pindarus, hac forma utitur.

2. Vocalium mutatio. Α pro η, Δαμάτρις VII, 531. 3, μάτηρ ibid., σίδαρον ibid., ἀνίκατον IX, 59. 7, γλυκυαχέα IX, 26. 7, Θνατοῖς IX, 26. 10, πολεμαδόκον IX, 59. 3, σιδαρέους VI, 256. 1, φύρδαν VII, 531. 4, ἀνίκα ibid. 7.

3. Decl. subst. et adi. Decl. I, Nom. sing. Μαιονίδας V, 30. 2, βαψαμένα VII, 531. 2, εὐξαμένα VI, 209. 2, δερκομένα VII, 531. 6, κλονισαμένα VII, 185. 4. Gen. μορφᾶς VI, 209. 2, Ῥώμας IX, 59. 6. Dat. ὁμοφροσύνᾳ VI, 209. 4. Acc. ᾠδάν VII, 531. 1, Ἀλκείδαν IX, 59. 4, Ἀφροδίταν ibid. 3, Εὐρώταν VII, 531. 7, εὐφροσύναν IX, 26. 10, κόμαν VI, 256. 2, πυγμάν ibid. 6, ὑπήναν VI, 256. 3, φυγάν VII, 531. 8, δειλάν ibid. 7, μελψαμέναν IX, 26. 6, μούναν VII, 530. 1, σεμνάν VI, 256. 3. Gen. plur. κοιλᾶν cod. (κοίλων Jac.)

4. Pronomina et Articulus, ἁ IX, 59. 3. 4. 7, ἅ VII, 531. 3, τάν VII, 530. 2. ἀμετέραν VII, 185. 6, αὐτά VII, 531. 1.

5. Coniugatio, φᾶ VII, 531. 3.

Videmus, excepto μικκῇ omnes has formas Doricas esse Pindaricas.

IV. Dialectus Attica. Crases, quae apud Atticos frequentissimae sunt, hae reperiuntur: κἀκείναις IX, 302. 6, κἤν IX, 418. 2, κἤπι VII, 625. 1 (Cras. Dor. κήπειτεν tamen est Arist. in Acharn. 745.) κοὐκ VII,

637. 6, ὀϋπιλιμνευτής VI, 93. 1, τὰν IX, 541. 4, χοἰ IX, 241. 2, χὠπότε V, 109. 3, χὤτι IX, 238. 3, ὠμφιβόητος (sic enim in codice legitur, quod Pauss. docuit, pro ἀμφιβόητος) IX, 241. 2, ὤπόλλων IX, 238. 1. Atticae formae praeterea sunt ἔθος VI, 209. 4, εὐθύς IX, 46. 3, εὐθύ VII, 216. 4, Ἡρακλέους VI, 256. 2, Θεμιστοκλέους VII, 236. 1, μαινίδας VII, 637. 2, ναυσί cod. IX, 408. 4, (Jac. et Brunck. Plan. secuti scripserunt νηυσί), νεώς (ναός) VI, 208. 3.

In Antipatri Thessalonicensis carminibus adeo regnat dialectus epica, ut novem tantum formas Doricas praebeant. Quorum tria facili mutatione haud scio an epicis adiicienda sint. V, 30. V. 2. Μαιωνίδας cod. Μαιονίδης Br. Μαιονίδας Jac. VII, 185. 4 κλαυσαμένα cod. κλαυσαμένη Pl. Br. Jac. 6 ἁμετέραν cod. ἡμετέρην Pl. Br. ἡμετέραν Jac. IX, 96. 2 Ἀΐδαν cod. manifesto in hoc versu corruptus. Ἀΐδην Pl. Br. Stob. Gesn. et Grot. Jac. Brunckii scriptio si ubique recipiatur, omnia Dorismi signa oblitterantur. Ep. VII, 531, quod de Leaena, filii parricida, agit, Dorismus ab initio usque ad finem reperitur. Quamobrem codicis scripturam κοίλαν, modo α circumflexum sit, κοίλων praefero, quod Jac. scripsit: Graeci ὁ et ἡ λαγών dixerunt. Tantum in vocabulo ἔχουσα poeta a Dorismo Pindarico recessit. Ep. VII, 530 in Nioben duas praebet formas Doricas, v. 1 μούναν et v. 2 νάν: epicae formae eiusmodi sunt, ut iis etiam Pindarus utatur: totum carmen igitur Dorismum Pindaricum repraesentat. VI, 256 in Nicophontem pugilem. Dorismus neglectus est in vocabulis Μιλησίου v. 4 et ἡνίκα v. 5. IX, 59. Dorismus neglectus est in Ἀθηναίαν v. 3 et forma epica admixta, σαῶ v. 5. Duo supersunt, in quibus Ionicae et Doricae formae temere commixtae esse videntur. VI, 209. Dorica haec sunt: v. 2 μορφᾶς, εὐξαμένα, 4 ὁμοφροσύνα. Ita cod. et Jac. in A. P. Brunck. haec tria vocabula in Ionica transmutavit et Jac. in D. E. eum secutus est. Ionica: 1 Κυθέρη τεῆς. Ionica et Attica: 3 τῇ, μεγάλην. V. 3 μυχῷ, vocabulum Doricum, terminatio Ionica. IX, 26 Dorica: v. 2. Πιερίας, 6. μελψαμέναν, 7. γλυκυαχέα, 10. θνατοῖς, εὐφροσύναν. Ionica: v. 3. Πρήξιλλαν, 6. Ἀθηναίης. Ionicum et Atticum: 3. Ἀνύτης. Cetera car-

mina, quod iam dixi, dialecto epica scripta sunt, iis formis Atticis, quas supra notavi, passim iniectis. De quibus nihil habeo, quod ad haec addam, nisi quod IX, 241. 5 *Εὐαγόρας* scriptum est, quam terminationem in Ionicam mutare praesertim in nomine proprio non ausim.

Carmina Antipatro Macedoni in codice adscripta, quem eundem habuimus atque Thessalonicensem, omnia dialectum epicam praebent. Haec ipsa res, quam Thessalonicensis fere semper eadem utatur, illam sententiam quodammodo confirmat.

PARS IV.

CAPUT X.

DE IIS CARMINIBUS, QUAE SIVE ANTIPATRO SINE GENTILI NOMINE SIVE HUIC ET ALII POETAE ADSCRIPTA CERTIS RATIONIBUS AUCTORI SUO REDDI NEQUEUNT.

Quae epigrammatum in hoc titulo significatorum quadam saltem cum veri similitudine ad auctorem referri possint, perscrutaturo mihi et locus, quem in codice epigramma aliquod obtinet, et argumentum virtusque poetica et dialectus respicienda fuerunt. Quae res quum in aliis exoptatum, in aliis nullum exitum habuerit, summam nunc expositurus primum de iis epp. dicam, quae Antipatri Sidonii esse videntur, deinde de iis, quae Thessalonicensis esse videntur, denique de iis, quorum auctores aut Antipatri non esse videntur aut plane incerti sunt.

I. Ea epp., quae Antipatri Sidonii esse videntur.

VI, 219. Argumentum: Nota de Gallo, Rheae sacerdote, fabula, qui leonis impetum tympani sonitu repulit, verbose narratur et haec sententia adiicitur: necessitas liberationem Orci invenire docuit. Hoc carmen generi secundo adscribendum est. In eandem rem scripta sunt Simonidis VI, 217, Alcaei 218, Dioscoridis 220. Rem de dialectis horum carminum ita tractabo, ut non omnes cuiusvis dialecti formas exscribam, sed tales tantum, quales in epp. Ant. Sid. et Thess. tributis non reperiantur, et eas, de quibus ipse aliquid dicturus sim, et ut de dialecto totius carminis iudicium faciam. In hoc ep. notanda sunt ἅπαξ λεγόμενα, v. 6 γυιοπαγεῖ, v. 7 ἐπείσθορε, quod vocabulum Passov. in lex. suum non recepit, v. 13 ἐναυλιστήριον, v. 14 ἀγχινεφής, v. 18 εὐστροφάλιγγα; tmeses tres v. 1, 13, 15; vocabulum epicum v. 6 ἐλαστρηθείς, v. 17 ἔμπας. Ceterum in toto carmine Ionismus cum Dorismo commixtus est.

VI, 223. Scolopendrae frustum a piscatore Inoni et Palaemoni dedicatur. Gen. I. Cf. Aelian. var. hist. XIII, 23. Similis argumenti est ep. VI, 222 Theodoridae. Dialectus epica. V. 1 σκολοπένδρης cod. Suid., -ρας Br. Jac., quod se mutare neglexisse ait in Comm. crit. Itaque etiam in D. E. scribendum est -ρης. Ἅπαξ λεγόμενα sunt v. 1 ἀμφίκλαστον, 2 εὐψαμάθου, 5 γριπηΐδι, 7 ἤερτησε. V. 5 in A. P. et in D. E. pro Ἑρμώναξ scribe Ἑρμῶναξ et v. 6 in D. E. pro πελάγους πελάγευς. V. 3 sic scriptus est:

διςσάκι τετρόργυιον, ὕπαι πεφορυγμένον ἀφρῷ.

Vide quot modis illud ὕπαι viri docti corrigere conati sint, apud Jac. in Anim. et Add. ad A. L., in Comm. crit. et Add. ad A. P. Mihi codicis scriptura sanissima esse videtur. A superiore enim parte scolopendrae maris aestu ad littus eiectae et spuma facile defluxerat et expeditus aeris accessus eam mox exsiccaverat: ὕπαι, infra autem etiam, quum piscator advenisset, spumata erat. Epp. 211—226 poetarum sunt e Corona Meleagri, 219 et 223 nudo Antipatro adscripta; qua de caussa utrumque Sidonii esse videtur.

VII, 7. Lemma: εἰς τὸν αὐτόν. In Homeri sepulcrum, qui totam Graeciam cantavit et Thebis natus est. Gen. I. Dialectus epica. Antipatro Sidonio in nonnullis codicibus hoc ep. tribui, monuit Leo Allat. de patr. Hom. p. 46. Nec male, ut videtur: praecedit enim ep. Antipatri Sidonii in Homerum. Vide annot. ad VII, 15.

VII, 15. Ἀντιπάτρου. In Plan. ἄδηλον est. Sappho, se tantum puellas carminibus superasse, quantum Homerus viros, dicit. Gen. III. Dialectus Dorica Pindari, admixto vocabulo οὔνομα, quo is non usus est. Notandum v. 2 θηλειᾶν. Anteit carmen Ant. Sid. et saepe factum est, ut e pluribus eiusdem auctoris carminibus sese excipientibus primo tantum nomen gentile additum sit. Itaque Sidonii esse videtur. Huc accedit, quod Sappho ab eodem poeta VII, 14 et IX, 66 celebratur.

VII, 65. Antipatri. *Diogenis vita paucis contenta malisque infesta laudatur et improbi stultique, quum vel mortuus eos oderit, sepulcro decedere iubentur.* Gen. III. Dialectus epica, interiecta forma Attica et Dorica πήρα et Dorica σαοφροσύνας. Sidonio hoc ep. maxime ob argumentum dedi, laudem Diogenis Cynici. Stoicae enim sectae, natae e Cynicis, poetam addictum fuisse videri, in quaestione de vita demonstravi.

VII, 75. Antipatri. Stesichorus Catanae sepultus ζαπληθὲς ἀμετρήτου στόμα Μούσης vocatur eiusque anima ex Pythagorae sententia olim Homeri in pectore habitasse dicitur. Gen. III. Dialectus Dorica neglecto Dorismo in Μούσης et φυσικήν. Carmina sex, quae hoc in codice sequuntur, poetis Coronae Meleagreae debentur: hanc ob caussam et ob argumentum Sidonio hoc ep. dedi.

Carmina in codice cum antecedentia Meleagri et Anytae, tum sequentia Tymnae et Mnasalcae suadent, ut Sidonio adscribamus VII, 209 et 210. In Plan. utrumque ἄδηλον est. In illo formicae se sepulcrum prope aream exstruxisse poeta dicit, ut vel mortua Cereris agro spicifero mulceatur. Gen. I. Dialectus epica, admixta una forma Dorica ἐκτισάμαν. Nota ἅπαξ λεγόμενα v. 3 σταχυητρόφος et 4 ἀροτραίη. In hoc serpentis sors narratur, quae hirundinis pullis devoratis

in ipsam matrem impetum factura in flammas incidit. Fabula docet, Vulcanum ultorem prolem Erichthoniam servasse. Gen. II. Dialectus epica, admixtis tribus formis Doricis, v. 5 κινυρομέναν, v. 8 τάν, γονάν. Ad formam χελιδονίς probandam laudat Jac. ep. in App. epp. n. 210. Provocare etiam poterat ad locum Ant. Sid. VI, 160. 1.

VII, 252. Antipatri. In Plan. ἀδέσποτον est. Dicitur scriptum esse in eos, qui ad Thermopylas occubuerunt. Hi, qui mortem (ex Casaub. et Jac. sententia ἐνόπλιον pro ἐνύπνιον) in armis amaverunt, non columnam, sed ipsam virtutem, i. e. virtutis laudem, gloriam, pro virtute nacti sunt. Gen. I. Bosch. in Anth. Plan. T. V p. 17 ἐνόπλιον haud idoneis de caussis reprobat, Lennep. in Add. p. 237 probat. Dialectus Dorica et epp. 246—273, pars Coronae Meleagriae, auctorem eum Antipatrum, qui eandem Coronam exornavit, indicant.

VII, 409, 413, 493 leguntur in media parte Coronae Meleagriae, epp. 406—529, et in codice nomen Antipatri Thessalonicensis praefixum habent. Quae res, virtus poetica et dialectorum ratio faciunt, ut librarii errore ad Thessalonicensem relata videantur. 409 in Antimachum scriptum est, quem poeta eximie laudat et, ut Neptunus Iovi tantum cedat, Homero solum inferiorem esse dicit. Gen. III. Dialectus Pindarica immixtis formis epicis οὖας et ἔλλαχες. Notandum κρέσσον, quod etiam in VII, 413 legitur. VII, 409 exscripsit Schellenberg. Antim. rell. p. 40. 413. Hipparchia in eo, quod Cynico habitu incedat, gloriatur et se tantum Atalanta, quantum venatione sapientiam, potiorem esse ait. Gen. III. Ionismus Dorismo mixtus est: notandum εὗαδε et κάῤῥιον. Iam Cynicae laus, ut supra VII, 65, Sidonium auctorem prodit. 493. Mater et filia Corinthiae, urbe a Romanis expugnata, mortem voluntariam oppetiverunt: quam cum mater filiae attulisset, ipsam se interfecit. Gen. I. Dialectus Pindarica. Ἧς v. 7 verbum Theocrito proprium, quod iam semel in Ant. Sid. epp. deprehendimus, VII, 427. 11. Corinthus aetate huius poetae eversa est: quare etiam hanc ob caussam ep. eius

esse videtur. Iam Brunckius de pravitate lemmatis non aliter sensit.

VII, 711 Antipatri. Clinareta inter ipsum nuptiarum apparatum morbo exstincta est. Exempla fuerunt Erinnae ep. VII, 712 et Meleagri VII, 182. Horum imitatorem Sidonium novimus. Gen. I. Dialectus Pindarica, neglecto Dorismo in ἀφαρπάξασα et Ἀΐδεω. Πεύκης recte emendasse videtur Jac. Nota πίτνατο. Carmina 707—726 e Corona Meleagri excerpta sunt: praebent enim praeter poetas ab ipso Meleagro nominatos epp. anonyma, Dionysium Rhodium prorsus incertum itaque sententiae illi non refragantem et duo epp. Antipatri. Recte igitur hoc Sidonio dedisse mihi videor. Alterum est

VII, 713. Erinna, quanquam paucorum versuum auctor, tamen, quia Musam habent, immortalis prae infinita recentium poetarum multitudine, iisque tantum praeferenda, quantum cygni cantus graculorum crocitui. Gen. III. Asclepiadae VII, 11 obversabatur poetae. Dial. epica: una tamen forma Dorica, Μούσας. Nota λωΐτερος, κιδνάμενος et ἅπαξ λεγόμενον παυροεπής. Carminis elegantia et Asclepiadae imitatio etiam a Sidonio faciunt.

IX, 58 Antipatri. Dianium Ephesium ceteris sex mundi miraculis praeponitur. Gen. III. Dialectus Dorica Pindari, crasi Theocriti κἠνίδε iniecta et Dorismo neglecto in κατηυγασάμην atque ἠμαύρωτο. V. 5 Μαυσωλοῖο Jac. cum plur. edd. vett. et cod. Μαυσώλοιο Steph. Brunck. Jac. in Comm. crit. diversas grammaticorum sententias affert. His addo gravissimi in his rebus testimonium, Arcad. de accent. p. 57: „τὰ διὰ τοῦ ωλος μονογενῆ ὑπὲρ δύο συλλαβὰς προπαροξύνεται, εἰ μὴ ἔχοι πρὸ τοῦ ω δύο σύμφωνα κατ᾽ ἐπιπλοκήν, ὧν τὸ δεύτερόν ἐστι τ, οἷον κίμωλος, εὐρύσωλος, φάσκωλος, ὁ θύλακος." Nom. propr. accentuatio quum contraria sit accentuationi nom. appell. et adiect., Μαυσωλοῖο verum videtur. V. 7 et 8 sic in cod. leguntur:

κεῖνα μὲν ἠμαύρωτο δὲ κἤνιδε νόσφιν Ὀλύμπου
Ἅλιος οὐδέν πω τοῖον ἐπαυγάσατο.

Variis coniecturis Jac., Weichert., Passov. in Jahn. annal. 1828 I p. 48 Bentlejanam τί κεῖνα δέ; antepo-

nunt. Mutatione autem fere nulla facta l. l. Passov. legendum esse suspicatur:

κεῖνα μὲν ἠμαύρωϑ'· ὃ δὲ κῆνίδε ν. Ὁ. κ. τ. λ.

Praeterquam quod dialectus Dorica magis Sidonio convenit, totum ep. eius ingenium spirat.

IX, 151. Antipatri. Nereides Corinthi a Romanis eversae fortunam lugent. Gen. III. Agathiae IX, 153 hoc ep. obversabatur. Dialectus epica. Nota πολυκάμμορε. Cur Sidonio tributum sit hoc ep., intelligas ex annot. ad VII, 493.

IX, 728. Antipatri. In Myronis vaccam. Lusus frigidus. Gen. III. Dialectus epica, Dorica tamen inest articuli forma ἁ. Epp. 720—724 Ant. Sid. sunt in eandem vaccam facta, 729 Plan. Sid. tribuit: vero itaque simillimum est, hoc etiam ei dandum esse.

IX, 790. Antipatri. In Plan. ἄδηλον est. In templum Dianae Ephesiae. Gen. III. Harum dialectorum formae in hoc ep. comparent: epicae Οὐλύμποιο, ἐμβεβαῶτα, Ἀνδρόκλοιο; Doricae: πόκα, μετάγαγε, αἰπυτάταν, φιλαμένα, τάν, ταύτᾳ; Atticae: δορί; prosae Ionicae: μέζον. Interrogationis signum post ultimum verbum ponendum esse bene dicit Passov. in Jahn. ann. 1827 I p. 73. In eodem argumento ac IX, 58 versans eiusdem Antipatri hoc ep. esse videtur.

XI, 158. Antipatri. In hominem nequam, Cynico habitu incedentem, cuius tamen mores a Cynicis erant alienissimi. Gen. IV. Dialectus epica. In A. P. comma v. 1 post ἄριστον delendum est. De caussa, cur Sidonio hoc ep. assignaverim, vide annot. ad VII, 65.

XII, 97 Antipatri. In Eupalamum superiore magis quam inferiore corporis parte formosum. Gen. IV. Dialectus epica; ultimum verbum Αἰακίδαο corruptum. Epp., quibus hoc in Stratonis Musa circumdatur, ex Anthologia Meleagri sumta sunt.

Plan. 296. Antipatri. In Homeri patriam, quam poeta non in una earum urbium, quae sibi eum vindicent, sed in Olympo esse dicit. Gen. III. Dialectus Dorica, duabus interpositis formis Ionicis, Λαπιϑέων et Θεσσαλίην, neglecto Dorismo in ἄλλην et τεκούσης. Homerum quum multis epp. Ant. Sid. celebret, non dubito, quin hoc iis addendum sit ingenio eius poetico plane conveniens.

Plan. 305. Antipatri. In Pindarum. Gen. III. Dialectus epica. Ant. Sid. ep. in eundem iam legimus.

II. Ea epp., quae Antipatri Thessalonicensis esse videntur.

VII, 287 et 288. Lemma: Antipatri. Thessalonicensis esse videntur, quia inclusa sunt in cod. epp. 286 Ant. Thess. et 289 Ant. Mac. Naufragus iuxta littus sepultus se vel mortuum a mari vexatum iri conqueritur, eosque, qui se hoc loco humaverint, increpat. Gen. II. Idem argumentum tractat Arch. Byzant. VII, 278. Dialectus epica. *Ἀπρήϋντος* est *ἅπαξ λεγόμενον*. — Naufragus, cuius carmen pisces ambederant, ossa ad littus eiecta erant, se partim terrae, partim maris esse dicit. Gen. II. Dialectus epica. Dialectorum ratio et argumenta, quibus similia saepe tractavit Ant. Thess., sententiam de eo auctore habendo confirmant.

VII, 692. Antipatri, alii Philippi Thessalonicensis. In Glyconem athletam, quem a nemine victum Mors tamen prostravit. Gen. III. Insunt duae formae Doricae, *ανίκατοι* et *ἐῤῥοντι*, una Ionica *χέρες*, Dorismus neglectus est in *Ἀΐδης*. Posterior pars ep. sic sonat in cod.:

τὸν δὲ πρόςθεν οὔτ' ἐν Ἰταλοῖς,
οὔθ' Ἑλλάδι τὸ πρῶτον, οὔτ' ἐν Ἀσίδι,
ὁ πάντα νικῶν Ἀΐδης ἀνέτραπεν

Τὸ πρῶτον depravatum. Jac. in Comm. crit.: *τις ἔστρωσεν*. Facilior, puto, haec est emendatio: *τέο* vel *τέῳ στρωτόν*. Sidonii hoc ep. esse nequit, quoniam Glyco Augusti aetate vixit: utrum Thessalonicensis, an Philippi sit, id ambigi potest. Maiore cum fiducia Antipatro tribuerim, nam is aequalis Glyconi fuit et multa in viros suae aetatis illustres epp. confecit; huc accedit, quod auctor tanquam de nuperrime mortuo loquitur.

VII, 705. Antipatri. De Amphipoli, in utraque Strymonis ripa sita, iam pridem diruta et panno purpureo consimili. Gen. III. Dialectus epica et urbs Macedoniae, de qua agitur. Thessalonicensis esse ep. probabile reddunt.

IX, 23. Antipatri. Archippus agricola moribundus filios, ut paternum agrum colere pergant, maris periculis abstineant, hortatur. Gen. I. Dialectus epica. 'Αΐδαν cod. 'Αΐδην Pl. Br. Jac. recte, ut videtur. Nota v. 3 νιήεσσιν. Thessalonicensi adscripsi propter IX, 96 simillimum.

IX, 266. Antipatri. Plan.: Philippi. In Glaphyrum tibicinem, quem poeta Minervae tibiis uti affirmat. Gen. III. Dialectus epica. Iam legimus ep. Ant. Thess. in eundem.

IX, 553. Neque auctoris nomen adscriptum in membranis neque aliud lemma. In Nicopolim, urbem ab Augusto earum, quas bellum cum Antonio everterat, loco aedificatam. Gen. I. Dialectus epica. Recte Antipatro Thessalonicensi hoc ep. dedisse Brunckius videtur, quum in codice ep. eius anteeat.

IX, 706. In A. P. T. II p. 245 lemma habet: ἄδηλον, errore ex antecedente ep. repetitum: codex Antipatro tribuit. Populus ad viam posita praetereuntes, ut ab iniuriis sibi inferendis abstineant, monet. Gen. II. Dialectus epica. Nota μέμνεο. Thassalonicensis cum propter dialectum, tum propter argumentum esse videtur, cui simillimum idem poeta tractavit in IX, 282. Insuper epp. 706—709 Coronae Philippi indicia praebent.

XI, 219. Antipatri. Argutum epigrammation in hominem impuri oris. Gen. IV. Eiusmodi argutiae Thessalonicensem auctorem produnt.

XI, 224. Antipatri. Priapus ab homine bene vasato se superari queritur. Gen. IV. Dialectus epica. Thessalonicensi propter argumentum dedi.

III. Ea epp., quorum auctores aut Antipatri non esse videntur, aut plane incerti sunt.

VI, 10 et XI, 23 Antipatri. In utroque ep. nomen Seleuci reperitur, quamobrem eidem Antipatro esse videntur assignanda. VI, 10 Seleucus Palladi aram cornibus instructam dedicat. Gen. I. Dialectus Dorica, immixta forma epica παρθενίης. Argumentum, dialectus et ipsum nomen Seleuci, quod non facile inve-

niatur nisi apud reges Syriae, ad Sidonium nos delegant. Duo Seleuci aetate huius poetae regnabant quartus Philopator a. 187—176 et quintus 127—126. — XI, 23. Poeta vitae brevitatis memor se ad potandum excitat. Gen. II. Quocum ep. si contuleris IX, 112 Ant. Thess., hunc auctorem habere voles. Eodem ducit dialectus epica, in qua notandum καταίβαδις. Passov. propterea quod epp. 24—46 inverso litterarum ordine e Corona Philippi sunt depromta et 23 a littera ω incipiens ordinem non turbat, hoc Thess. dedit.

VI, 15. Antipatri Sidonii, alii Zosimi. Plan.: Zosimi. Idem argumentum, quod in VI, 14 Ant. Sid. est. Gen. I. Dialectus epica: v. 4 crasis Dorica κἠν. Zosimi esse videtur, cuius tria epp. in eadem re versantur.

VI, 115. Antipatri. Tauri cornua in Orbelo monte a Philippo rege occisi Herculi dedicantur laudeque dignus Philippus censetur, qui stirps Herculea Herculis opera imitari studeat. Gen. II. Dialectus Dorica Pindari, neglecto Dorismo in πλήξας. V. 8 πατρωίον cod. πατρῷα Jac. Cod. scriptio, dummodo ι subscribatur, fortasse non reiicienda est. Apud Atticos nonnunquam πατρῷος masculino et feminino commune est. Ἐρημωτὰν ἅπαξ λεγόμενον. Quin Philippus ille Demetrii, qui ab anno 221 —179 a. Chr. regnaverit, filius sit, nullam dubitationem nobis relinquit epitheton v. 3. Δαρδανέων ὀλετήρ: quod Brunckius scribendum esse vidit pro ὀλετῆρ'. Dardani ab illo fugati sunt Ol. CXLIX, 1. Vide Liv. XXXI, 43. Duo praeterea Anth. epp. eandem rem tractant, VI, 114 et 116, illud Phil. Thess., in Plan. Simmiae, hoc Samo, in Plan. Simmiae tributum. Quorum ep. Sami (Polyb. V, 9; XXIV, 8) vel Samii (Meleagr. prooem. v. 14; Plutarch. T. II p. 52 E), qui antea Philippi gratia florens cum Admeto, Pyrricho aliisque iniusta caede interemtus est, archetypum. Jac. in A. L. T. XIII p. 848 ep. VI, 115 propter Philippum Thessalonicensi Antipatro tribuit. Carmina autem 109—163, intermixtis quibusdam alienis, ut ep. VI, 114, e Meleagri Corona depromta sunt. Quae cum ita se habeant, auctorem incertum esse dico.

VII, 136. Antipatri. Priami tumulus non pro dignitate viri, sed quia ab hostibus factus est, exiguus.

Gen. I. Similis sententia in ep. anonymi VII, 137. 5 et 6. Brunckius VII, 136 Sidonio dedit.

VII, 165. Antipatri Sidonii, alii Archiae. Argumentum idem est atque in VII, 164 Ant. Sid. Gen. I. Dialectus epica. Dorica sunt μνᾶμα et εὖσα: Doricum et Atticum est πάτρας. Fortasse eodem modo hic peccatum est, quo in VI, 15 peccatum esse putavimus, i. e. Antipatro carmen male adscriptum.

VII, 232. Antipatri. Plan.: Anytae. Amyntor, filius Philippi, quum socium in pugna defenderet, periit. Gen. I. Dialectus epica, forma Dorica ἄγαγε interposita.

VII, 316. Leonidae aut Antipatri. Plan.: Leonidae, Br.: Leon. Alexandrini. In Timonem hominibus inimicum. Gen. III. Dialectus epica. Jac. in Anim. T. II P. II p. 106: „Elegans hoc ep. nisi Antipatri est, Alexandrino certe Leonidae tribui nequit.“ Thess. Antip. non magis esse, quam huius credo: non autem dixerim, utrum Sidonii, an Leon. Tarentini sit.

VII, 743. Antipatri. Hermocratea, undetriginta liberorum mater, se nullius mortem vidisse iactat, suamque felicitatem cum Niobae clade componit. Gen. II. Dial. epicae formae: μιῆς (1 sic cod., quod Paulss. docet; μιᾶς Jac.), νούσοισιν, γλώσσῃ. Υἵῆας Ionum orationi solutae proprium. Doricae formae: ἁ, ἥβαν, ἀγάγετο, νίκημι. Βαρυπενθήτους est ἅπαξ λεγόμενον. V. 5 Jac. vario modo, proxime ad cod. scripturam correxit in D. E. pro ἐμῶν proponens λεχῶν.

IX, 3. Antipatri, alii Platonis. Plan. antt. edd.: Stratonis. Br.: Platonis. Nux prope viam posita de puerorum iniuriis conqueritur, qui ipsam saxis petentes laedant. Gen. II. Conferas cum hoc. ep. Ovidii Nucem. Dialectus epica. Hoc ep., si Antipatri est, fortasse Thessalonicensi adscribendum, qui simile ep. in laurum composuit IX, 282.

IX, 25. Leonidae Tarentini. Pl.: Antipatri. Br.: Ant. Sid. In Arati phaenomena. Gen. III. Dialectus epica. Interpretatus est hoc carmen p. 17—21 cum quatuor aliis Schulze in libello, quem supra indicavi. Jacobsium ubivis secutus est, nisi quod v. 4 in verbis ἰλλόμενος κύκλοις Brunckii sententiam Jacobsii sententiae ab ipso auctore in D. E. non amplius defensae

praefert. Triplicem interpretationem metricam et quaedam de Arato adiecit, multos locos locis huius ep. similes collegit: quorum hic sane ad acumen epigrammaticum illustrandum bene adhibitus est apud Cic. Tusc. I, 25: „quorum (astrorum) conversiones omnesque motus qui vidit, is docuit, similem animum suum eius esse, qui ea fabricatus esset in coelo. Nam quum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram illigavit, effecit idem, quod ille — — Platonis deus.“

IX, 72. Antipatri. Mercurius pastoribus temperantiam suam laudat, quum contra Hercules in eadem ara positus agros haedosque sibi exposcat. Gen. IV. Imitatus est poeta Leon. Tar. IX, 316. Dial. epica.

IX, 76. Antipatri. Fabula de merula una cum turdo laqueis capta, quorum hic retentus, illa, quia genus cantorum sacrum, incolumis dimissa est. Gen. II. Archias IX, 343, ut videtur, hoc ep. imitando expressit et Paul. Silent. IX, 396. Dialectus Dorica, iniecta forma epica *μεθέηκε*. Fortasse Sidonii est, quem etiam Brunckius auctorem habuit.

IX, 77. Antipatri Thessalonicensis. Plan.: Aristonis vel Hermiodori. Hermodorus poeta Anthologiae est. Iuno Iovis et Ganymedis amoribus ad iram incensa Troiae ruinam minatur. Gen. I. Dialectus Dorica Pindari, neglecto Dorismo in *ἔχουσα*.

IX, 143. Antipatri. Venus marina et nautis et amantibus opem pollicetur suam. Gen. II. Expressum est ex Anyt. IX, 144. Dialectus epica. Brunck. hoc ep. Sidonio dedit.

IX, 149 et 150 codicis testimonio eiusdem Antipatri sunt. 149. Pastor, unius ovis uniusque vaccae possessor, quum illam lupus rapuisset, haec infelici partu periisset, suspendio vitam finivit. Gen. I. Dialectus epica. V. 1 et 2 sic in codice scripti sunt:

εἶχεν Ἀριστείδης ὁ Βοκέῤῥιος οὐκ ἀπὸ πολλῶν
πολλά, μιῆς δ' ὄϊος καὶ βοὸς εὐπορίην.

Censor D. E. secundus p. 58: „quid sit *Βοκέῤῥιος* dictu difficile. In sequenti carmine, quod sive ex hoc, sive hoc ex illo expressum est, legitur *Ἀριστείδης ὁ πενιχρός*. Jac. latere putat nomen gentile, paterni

enim nominis commemorationem nihil facere ad hanc historiam. De nomine gentili, audio. De paterno, hoc non semel apponunt istiusmodi poetae, variis de caussis. Ecce in huius Anth. c. IX n. 54 Θήρων ο Μενίππου." Assentio. Postquam deinde Bocerrium valere et ab aliis auxilium petere jussit, ita pergit: „sanabo tamen, quantum possim. Dico enim, non recte se habere ista: Aristides multum habuit e non multis, sed divitias unius ovis et bovis. In Graecis δέ opponitur verbis οὐκ ἀπὸ πολλῶν. Ergo legendum esset εὐπορίης. Sed praestat μιῆς τ' ὄϊος. Εἶχε πολλά, οὐκ ἀπὸ πολλῶν, nempe εὐπορίην ὄϊός τε καὶ βοός." Mihi verba Antipatri hunc in modum videntur interpretanda esse: Aristides habebat non: e multis multa, sed possessionem unius ovis et bovis, in qua tamen acquiescebat. Ceterum Thessalonicensis esse ep. videtur. — 150. Hoc ep. bis in cod. reperitur, altero loco τοῦ αὐτοῦ, altero Phil. Thess. inscriptum. Sic quoque in Plan. bis legitur, mutato tantum priore disticho, quod Philippo tribuitur. Argumentum idem est atque in IX, 149. Dialectus epica. V. 5 ἱμάντι. Ex Passov. sententia in lex. prolata melius προπερισπᾶται. Totum carmen Philippo adscribendum esse Brunck. probabiliter suspicatur.

IX, 269. Antipatri Thessalonicensis. Plan.: Philippi. Duorum naufragorum quum alter alterum de tabula in undas deiecisset, ille a cane marina est devoratus, hic e fluctibus salvus enatavit. Fabula docet, Κῆρας vel in mari homines persequi. Gen. II. Dialectus epica. Jac. Philippi esse videtur.

IX, 603. Antipatri. Scriptum videtur in tabulam pictam, quinque Bacchas in variis rebus occupatas exhibentem. Gen. I. Dialectus Dorica Pindari, immixtis formis Ionicis σαώτεω et χοροστασίης, neglecto Dorismo in ἐντύνουσι et ἀερτάζουσα. Brunck. hoc ep. assignavit Thess. Jac.: „Sid. fortasse tribuendum."

IX, 752. Asclepiadae, alii Ant. Thess. Plan: Ascl. In amethystum Cleopatrae, cui Ebrietatis imago insculpta erat. Gen. IV. Dialectus epica.

IX, 792. Antipatri. In Niciae tabulam, quae Ulyssis ad inferos descensum repraesentabat. Gen. I. Dialectus epica.

XI, 170. In codice lemma est: *του αυτοῦ* (*Νικαρχου*). Ed. Flor. pr. Ald. cod. Nicandri Gotting.: Nicandri. Stobaei margo Tit. X p. 127; 9: Platonis aut Antipatri. In Stob. Grot. p. 75 „Incerti" appictum. Phido moribundus non obitum, sed impensas in loculum factas deplorat. Quare poeta ad pecuniam ei donandam, et puerum in eodem loculo deponendum hortatur. Acumen frigidum. Gen. IV. Dialectus epica.

XI, 415. Antipatri aut Nicarchi. Plan.: *ἀδέσποτον*. Gen. IV. Dialectus epica. Jac. et Schneidero Nicarchi esse videtur.

Plan. 75. Antipatri. In Cotyn, quem poeta Iovis sceptrum, Martis lanceam, Apollinis pulchritudinem habere dicit. Gen. III. Dialectus epica. Plures fuere Cotyes, Thraciae reges, de quibus videas Fabric. ad Dion. Cass. T. I p. 749 et Bayle dictionn. hist. et crit. Non videtur laudare in hoc ep. Antipater propter aetatem nimis remotam hos: aequalem et socium Agesilai, regem Paphlagoniae. Xenoph. Ages. II, 26. III, 4. Patrem Cersobleptis et coniugis Iphicratis, regem Thraciae. Harpocrat. v. *Κερσοβλέπτης*. Athen. IV, 131. A. Corn. Nep. Iphicrat. c. III. Aequalem Philippi, patris Alexandri Magni, regem Thraciae, crudelitate et libidinibus famosum. Demosth. adv. Arist. p. 445 et 446. Aristot. polit. 5, 10. Harpocrat. v. *Κότυς*. Athen. XII, 8 p. 531 et 532. Suid. *Κότυς* III. Valer. Maxim. III, 7 ext. 7. Non significatus esse potest propter aetatem is Cotys, rex Bospori, quem Arrianus commemorat in periplo pont. Eux. Supersunt igitur: Cotys, rex Odrysarum, Persei contra Romanos pugnantis socius. Polyb. T. VII p. 600. Diod. Sic. T. II p. 577. Suid. *Κότυς* II. Liv. XLII, 29; 67. Hunc a scriptoribus eximie laudatum si significatum putemus, ep. ab Ant. Sid. compositum esse videtur. Cotys, rex Thraciae, qui Pompeio filium suum Sadalam auxilio misit. Caes. bell. civ. III, 4. Lucan. Pharsal. V, 54. Idem hic fortasse est atque pater Rhescuporidis, quem a Vologeso a. u. 743 interfectum esse tradit Dio Cass. T. I p. 764. C. Cotys, Rhoemetalcis filius, qui ab Augusto partem regni Thracii accepit, et a. u. 772 a Rhescuporide patruo interfectus est, ingenio miti et amoeno. Tac. Annal. II, 64 sqq. Vell.

Pat. II, 129. Strabo lib. XII p. 651 (ed. Basil. 1571) eum Sapaeum vocat. Ovidius exsul opem eius imploraturus epp. ex Ponto II, 9 ipsi misit. Cuius v. 45 dicit: sed quam Marte ferox et vinci nescius armis, tam nunquam facta pace cruoris amans. Cotys, huius filius, Armeniae minori a Caligula praepositus a. u. 792. Dio Cass. T. II p. 915. Joseph. in ed. Oxon. p. 871. Tac. Annal. XI, 9. Cotys, frater Bosporani regis Mithridatis. Tac. Annal. XII, 15. Epigramma si Antipatri Thessalonicensis est, horum quatuor vel quinque Cotyum unus optandus est, cui inscriptum videatur. Jac. in A. L. T. XIII p. 849 regem Armeniae sibi elegit: ego de Rhoemetalcis filio malim cogitare.

Plan. 131. 133. 175. 176. 197. 220. Antipatri. In varia artis opera scripta sunt. 131. De Nioba bis septem liberis per Dianam et Apollinem orbata. Gen. II. Dialectus Pindari, admixta forma Ionica μιῇ et neglecto Dorismo in τεκοῦσα. Notandum v. 10 χά. 133. In eandem. Gen. II. Dialectus Dorica Pindari, neglecta tamen ea in παπταίνουσα v. 3. Nota v. 1 ἀνένειϰας. 175. In Venerem. Gen. III. Dialectus epica. 176. In Venerem armatam Lacedaemoniorum. Gen. II. Dialectus Dorica Pindari. 197. In Amoris vincti imaginem. Gen. III. Dialectus epica. 220. In tres Musarum statuas, trium sculptorum opera. Gen. I. Dialectus Dorica Pindari, neglecta tamen ea in Μοῦσαι v. 1.

CONSPECTUS PARTIUM ET CAPITUM.

TYPIS GUENTHERIANIS.